



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

Liber CCXXIII.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Concilium Romanum à Benedicto XIII. celebratum.



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.
LIBER CCXXIII.

BENEDICTUS XIII. PONTIFEX MAXIM.
CAROLUS VI. ROM. IMP.



§. I.

*Romanæ Synodi celebratio ad aliquot
dies prorogata.*

Jam anno priori Benedictus XIII. Sæc. XVIII.
Pontifex Synodum Romæ in Basi- A. C. 1725.
lica Lateranensi celebrandam indixe-
Hist. Eccles. Tom. LXXII. A rat.

Sæc. XVIII. rat. Præstituta quidem erat dies Do-
 A. C. 1725. minica post Paschatis festum prima,
 varia tamen, quæ intervenire obsta-
 cula longiorem deposcebant moram,
 ac ipsimet Episcopi ob præsatæ festivi-
 tatis solemnia suas ægre Ecclesias de-
 relinquebant, eapropter Pontifex hu-
 jus Synodi celebrationem ad diem de-
 cimam quintam Aprilis, in quam se-
 cunda post Pascha Dominica inciderat,
 differendam esse decrevit, transmissis
 ad omnes, quorum intererat, die vi-
 gesima quinta Martii hujus anni se-
 quentibus literis Apostolicis: *Supremi*
cum nostri sit Apostolatus officii, gloriosum
Ecclesie Catholice statum honore debito
promovere, & Sacrosanctas ipsius actiones,
quantum cum Domino possumus, ad Dei
gloriam, fideliumque profectum, celebrare;
quæcumque his detrimenta asserre, quæque
ordinem, & harmoniam turbare posse pro-
spicimus, nostra nos decet consideratione
dimovere. Nuper siquidem, sub nostris
datis literis apud sanctum Petrum, pervi-
gilio Nativitatis Domini 24. Decembris
1724, pro divino cultu peraugendo, aliis-
que, a sacris Canonibus, ac generali Tri-
dentino Concilio, ad Provincialium præ-
sertim synodorum excitandam celebrationem,
salubriter sancitis, executioni demandan-
dis, Concilium Romanum, a Nobis, Deo
opitulante, cum certis, per Nos specialiter
 tunc

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

tunc vocatis, Venerabilibus Fratribus No-
stris Archiepiscopis, & Episcopis, aliqui-
busque Abbatibus, jurisdictionem quasi Epi-
scopalem habentibus Dominica proxima in
Albis habendum, indiximus. Verum quia
rebus quibusdam digerendis, quæ diebus
hisce supervenere, indicta Concilii dies non
satis fore commoda existimatur; minusque
etiam vocatis Patribus opportuna, quorum
aliquos, ex Transalpinis præcipue, &
Transmarinis, longo jam itineri accinctos,
paucis datis aliis induciis, expectamus,
oportet, matura idcirco deliberatione ad
diem octavam indictæ Dominicæ in Albis,
quæ est secunda post Pascha, diem scilicet
decimam quintam Aprilis hujusmet anni,
differimus, ac prorogamus; ipsumque Con-
cilium in Patriarchalem Nostram Latera-
nensem cogendum, ibique Solemniter cele-
brandum, edicimus, atque statuimus. Quo-
circa præfatos omnes, aliosque quoscunque,
qui de jure, vel consuetudine interesse de-
bent, iterum requirimus, & monemus, ac
districte præcipientes, mandamus. quate-
nus die suprascripta in Concilium, tunc in
præfata Nostra Ecclesia celebrandum, con-
venire, ac personaliter eidem, sacrisque
omnibus functionibus, ad Synodi usque
conclusionem, Patrumque dimissionem, in-
teresse teneantur. Interim Deum iterum,
atque iterum humiliter exorandum opta-
mus, ut suæ spiritum Sapientiæ mentibus

Sæc. XVIII. nostris infundere dignetur, quatenus, eo
A. C. 1725. inspirante, opportunis modis, quæ recta
 sunt, exequi, & malis omnibus obviare
 possimus.

§. II.

Synodi Romanæ decreta.

Petra
Comm. ad
Const. Tom.
V. p. 107.
Et 146.
Acta Concil.
Rom. lettr.
d'un Theol.
a un Abbé
du P. Honoré
Carm.

Rebus omnibus rite dispositis sacro-
 sanctæ Synodo præstituta die so-
 lemne dabatur initium. Convenerant
 triginta duo Cardinales, præter qua-
 tuor alios, qui per suos Procuratores
 intererant. Ex Archiepiscopis vero
 numerabantur octo, ac denique ex
 Episcopis sexaginta quatuor, quorum
 potissimi per seipsos, alii per suos Pro-
 curatores subscripserant: cum autem
 Pontifex etiam Abbates nullius diæce-
 sis, si proprium territorium separatim
 cum jurisdictione Episcopali haberent,
 Concilio intervenire iussisset, hinc eo-
 rum nomine Marcus Antonius Anfi-
 deus Damiatæ Archiepiscopus & Asses-
 sor S. Officii subscripsit, ceteri vero
 Abbates numero octo præter plurimos
 diversorum Ordinum Theologos, juris
 Canonici Doctores, & Historicos Sa-
 cros acciti interfuere. Habebantur
 plures Sessiones diebus 15. 22. 29. April.
 & 6. 13. 22. 27. & 29. Martii, in qui-
 bus condebantur decreta centum &
 qua-

quatuor, quæ dein ad librorum Decretalium normam divisa triginta duobus constant titulis, sub quibus denuo certa continentur capita, omnia ad restaurandam Ecclesiæ disciplinam saluber-
 rima. Ex his Titulus I. de *summa Trinitate & fide Catholica* complectitur decem capita, in quorum primo recensentur ii, qui ad fidei professionem publice emittendam tenentur. In secundo autem commendatur Episcopis Constitutionis illius, quæ incipit: *Unigenitus* exacta observantia. Controvertitur inter Criticos, utrum hæc verba: *quamque uti fidei Regulam agnosci- mus*, in ipsis hujus Synodi actis MS. a Cardinale Imperiali signatis ac genuinis Codicibus reperiantur, vel an non potius postea ab aliquibus fuerint intrusa: Hanc quæstionem decidere, nec vacat, nec expedit, carptim tamen ea, quæ in utramque partem ab Historicis referuntur, delibare, non omnino superfluum erit. His, qui hæc verba in ipsa Synodo, & ab ipsis Patribus sancta fuisse tenent, suffragari videtur. Primo, quod eodem anno, quo decretum de observanda Constitutione *Unigenitus* in Synodo Romana conditum est, eruditissimus P. Honoratus a S. Maria Carmelita Excalceatus Duaci die secunda Julii Epistolam Theologi ad
 A 3 quem-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

quemdam Abbatem ediderit, in qua præfatum decretum, omiſſis his verbis, recitavit, cognito tamen errore Lectorem monuit, declaravitque, ſe tunc uſum fuiſſe apographis, quæ Pariſiis, & Aureliæ &c. typis prodire, atque in omnibus hæc verba deſiderari, quæ tamen *in originariis actis Romæ & Bruxellis editis* omnino reperiri comperiſſet. II. Dederat etiam P. Bremon Tolofanæ Provinciæ Dominicanus die ſeptima Novembris Roma literas, in quibus teſtabatur, quod Patrum declaratio circa hanc Conſtitutionem *tanquam fidei Regulam* in Synodo *nemine reclamante* fuerit prælecta, atque adoptata: idem etiam teſtatur Pontifex in ſuo Brevi, ubi die 25. Octobris inquit, *quod omnia hujus Concilii decreta unanimi conſenſu lecta, lata & promulgata, atque in unum inde collecta volumina fuerint poſt quatuor meſes in ipſis diligenter emendateque cudendis inſumptos*: In hoc autem volumine hæc verba jam inſerta habeantur.

Berti Brev.
Part. II.
pag. 310.
Suppl. Van-
Eſpen pag.
315.

Alii e contrario, hæc verba primum ab aliquibus fuiſſe aſſuta credunt, remque ita contigiſſe referunt: Cardinales quidem ſummum Pontificem impenſius rogabant, ut hanc Conſtitutionem *pure ac ſimpliciter* ab omnibus recipi, in hac Synodo juberet, quin tamen

men unquam de ea in *Catholicae fidei Regulam* elevanda ab ullo cogitatum fuisset. Sæc. XVIII.
A. C. 1725.
 Quinimo ex Synodi Patribus erant nonnulli, qui duntaxat hæc verba: *debita obedientia* decreto esse inferenda censerent: Cardinales vero Salernus & Cienfuegos post acres inter se disceptationes tandem ceterorum animos eo inclinarunt, ut hanc particulam *omnimoda* addi consentirent: nulli tamen ea tum incidit cogitatio, ut hanc Constitutionem ceu regulam fidei proponi peteret: Horum ex consilio in Sessione VI. decretum conceptum erat his verbis: *Curandum est, ut Constitutio a SS. Clemente XI. edita, quæ incipit: Unigenitus, ab omnibus . . . OMNIMODA ET DEBITA obedientia & executione observetur &c.* Postea autem Franciscus Antonius Finy Archiepiscopus Damascenus, qui Synodo a secretis erat, impellentibus Molinistis, hæc verba: *quamque nostræ uti ejusdem fidei regulam agnoscimus,* decreto addidit.

Quamprimum ea res Romæ innotuit, mox hæc additio ceu apocrypha rejiciebatur, ac celebriores Synodi Præsules & Theologi erant parati, ut jurato etiam testarentur, nec in Congregatione, ut vocant, *materiarum pæparatoria* pridie ante Sessionem habita, nec in ipsa Sessione de inferendis

Sæc. XVIII. hisce verbis fuisse cogitatum, cum ta-
A. C. 1725. men ad hoc, ut pro Synodaliū Pa-
 trum declaratione id haberi posset, in
 præfata Congregatione proponi, ac
 postmodum in ipsa Sessione alta voce
 prælegi debuisset. Insuper Cardinalis
 Pollignacus testatur, se a Viris fide
 dignissimis percepisse, quod in hac
 Synodo *de regula fidei* nulla omnino men-
 tio fuerit facta, sed dicta verba a Finio
 fuerint addita. Ipse etiam P. Grave-
 sonius eodem anno die 30. Septem-
 bris, & 27. Decemb. ad Noaillium Car-
 dinalem perscripserat „magnam Romæ
 „contentionem timeri, eoquod Synodi
 „actis insertum fuisset. Constitutionem
 „*Unigenitus*, velut *fidei regulam* esse ac-
 „ceptandam, pluresque Italiæ Episco-
 „pos inde commoveri, palamque te-
 „stari, de hac additione in Synodo *ne*
 „*quidem per somnium* fuisse agitatum;
 „unde, quid ad hæc dicturus sit Pon-
 „tifex, omnium animos expectatione
 „defixos hæerere.„ Præterea P. Court
 Dominicanus a Pollignaco Cardinale
 plurimi habitus, datis Roma Parisios
 literis die vigesima quinta Octobris nun-
 tiabat, *Papam de interpolatione facta a*
nonnullis fuisse edoctum; quod autem hæc
Synodi Secretarius attentarit, mirum haud
videri, eoquod id fecisset impulsu eorum,
quorum stipendiarius esset. Certum quo-
 que

que est, hoc idem Concilii decretum Sæc. XVIII.
 die 5. Julii Anno 1725. Lovanii januis A. C. 1725.
 celebriorum Ecclesiarum affixum hanc
 clausulam non retulisse, illudque de-
 cretum in libro, cui titulus *memoires*
Historiques Tom. 4. p. 247. nec non in
 alio sub titulo: *Manifesta contradictio*
inter Rom. Pontificum doctrinam &c. Lo-
 vanii edito pag. 14. sine hisce verbis
 recitari: *Denique in actis hujus Synodi*
MS. & genuinis non reperiri, Constitutio-
nem Unigenitus esse regulam fidei, idque
postmodum quorundam libitu insertum af-
firmare eos, qui tum Romæ aderant, ut in
epistola 21. ad M. Morenas pag. 541. aliis-
que in locis asseritur. Ita testantur cla-
 rissimus P. Laurentius Berti, & cele-
 berrimus Eusebius Eranistes, sub quo
 nomine latet P. Vincentius Patuzzi
 Dominicanus, qui in elucidatione En-
 cycl. Epist. IV. & in Epistola Apologe-
 tica id ipsum multis argumentis de-
 monstrat, & refellit epistolam eorum
 (quinam illi fuerint, eruditus Lector
 non ignorat) qui Benedicti XIV. En-
 cyclicam ad Card. Archiep. & Episco-
 pos Galliæ die 16. Octob. 1756. datam
 indignis modis prosciderunt. Denique
 observandum, quod hic idem Pontifex
 publicos & notorios hujus Constitutio-
 nis contemptores a Sacramentis arcen-
 dos esse declararit, non ideo quia ne-

Sæc. XVIII. A. C. 1725.
 gant eam esse regulam fidei in stricto sensu, sed quia non obtemperant legi Ecclesie & Pontificum & omnium fere Episcoporum iudicio in quæstione facti doctrinalis moraliter certa, seu legi, quæ pertinet ad *directivam fidei regulam* in latiori sensu (*) sumptam. Ast sive demum hæc clausula ab ipsis Synodi Patribus fuerit sancita, sive ab aliis præpostere decreto intrusa, id omnino certum est, quod ea ex unanimi summi Pontificis, Cardinalium, ceterorumque Synodi Patrum consensu & approbatione nunc eandem vim, quam si ab ipsis Patribus in Concilio fuisset proposita, obtineat, cum omnes huic decreto, in quo hæc verba jam erant inserta, & cum originalibus collata, postea subscripserint, & subscribendo approbarint.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

Sacra Synodus Archiepiscopis, & Episcopis præcipit, ut in suis Provinciis ac Diocæsis Synodos haberent,
 ani-

(*) Vid. Instruct. Pastoral. Christ. Beaumont Arch. Paris. die 19. Sept. 1756. in libello, cui titulus: de *Turbis Gallicæ* præcipue pag. 127. & 131. necnon Justi. Febronii comment. in suam retractationem Posit. XVII. pag. 101.

animati exemplo Pontificis, qui dum adhuc Beneventi Archiepiscopus esset, triginta octo Diæcesanas, & duas Provinciales habuit.

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

TITULUS III.

De rescriptis.

Decernit Synodus, ut deinceps Superiorum Tribunalium decreta non ipsi Episcopo, sed ejus fiscali aut Cancellario tradantur.

TITULUS IV.

De supplenda negligentia Prælatorum.

Statuitur, ut Abbates Regulares perpetui suis subditis nec benedicant, nec Abbatialia exerceant, nisi prius juxta Rom. Pontificale ab Episcopo Diæcesano benedictionem susceperint.

TITULUS V.

De temporibus Ordinandorum.

Declarat Pontifex, quod Regulares juxta sua privilegia extra tempora S. Ordines recipere valeant, hæcque privilegia in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet: Hanc declarationem Apostolicam usque adhuc non factam, desideratam tamen & opportune faciendam exoptabat Cardinalis Petra.

TITU.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

TITULUS VI.

De ætate & qualit. Præfic.

Agit Synodus de qualitatibus eorum, qui ad S. Ordines, Canonicatus, vel Beneficia sunt promovendi.

TITULUS VII. & VIII.

De Officio Judicis delegati ac Ordinarii.

Monentur Episcopi, ut suas Diæceses diligenter quotannis visitent, & ni corpore, saltem Spiritu semper sint præsentés, atque in oppidis insignioribus Vicarios foraneos constituent. Si que earum Diæcesis sit ampla, singulis bienniis per seipsos, si fieri potest, eam lustrent.

TITULUS IX.

De Majoritate & obedientia,

Decernitur, ut Episcopi exempti Metropolitanum, qui tamen Provinciam & Suffraganeos habuit, eligant, atque Provinciali Synodo intersint: ad hanc tamen electionem non teneri Episcopos Romanæ Provinciæ declaravit S. Congregatio Concilii, quia hi Episcopi non sunt exempti a quacunque Provincia. sed sunt sub Romana.

TITU-

TITULUS X.

De foro competenti.

Præcipitur, ut in causarum expeditionibus taxa servetur, ubi vero nulla habetur, in proximo Concilio Diæcesano ea conficiatur, a Pontifice confirmanda.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

TITULUS XI.

De Feriis & festis diebus.

Monentur fideles, ut in his diebus se in operibus pietatis ferventius exercent, atque Ecclesias, Sacramenta, Conciones & Divina officia religiosius frequentent: & Messis aut vindemiæ tempore, audita prius Missa, servile opus facere possint, annuente tamen Episcopo.

TITULUS XII.

De fide Instrumentorum.

Fiant bonorum Eccl. inventaria, quorum unum exemplum reponatur in Archivio Apostolico, alterum in Episcopali: moriente autem Episcopo vel peregrinante Archivium bene custodiat, & clavis digniori civitatis Prælato tradatur, Successori consignanda.

TITU-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

TITULUS XIII.

De Jurejurando.

Prohibetur, ne juramentum de veritate dicenda exigatur a criminaliter inquisitis: Episcopis autem inculcatur, ut servent juramentum visitandi limina Apostolorum.

TITULUS XIV.

De Appellationibus.

Rejiciuntur appellationes ad injustitias vel fovenda dissidia interpositæ. Si vero ab Episcoporum aut regularium superiorum sententia a reo appellatur, constituatur Romæ Procurator pro iis.

TITULUS XV.

De celebratione Missarum.

Restringitur facultas celebrandi in Oratoriis privatis vel cubiculis, & præscribuntur anniversaria pro Papa & Episcopis defunctis celebranda: prohibetur autem indecorus concentus musicus, & organorum pulsatio in Missis pro defunctis & tempore Adventus ac quadragesimæ.

TITU-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

TITULUS XVI.

De vita & honestate Clericorum.

Episcopis commendatur, ne in Aulis Principum serviant, iis discumbentibus ipsi stent, aut Aulas accedant, nisi suadente necessitate, pietate, vel utilitate Ecclesiæ: Clerici autem a prohibitis venationibus, ludis indecoris, & mulierum familiaritate abstineant, & Clerici in sacris constituti singulis 15. diebus, inferiores vero quolibet saltem Mense confiteantur, & communent intra Missarum solemnia.

TITULUS XVII.

De Clericis non residentibus.

Episcopi circa hoc observent decretum Concilii Trid. & stylum Congregationis Concilii: Parochi vero ultra biduum sine Episcopi licentia non absint.

TITULUS XVIII.

Ne Sede vacante &c.

Statuitur, ut Sede vacante Episcopali per Vicarios Capitulares in Clericorum promotionibus disciplina Canonica servetur: Hi vero Vicarii nullum nisi beneficio arctatum ad Ordines suscipiendos dimittant.

TITU-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

TITULUS XIX.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

Prohibetur, ne bona immobilia ultra 3. vel 4, annos in Emphyteusin locentur, nec majus laudemium pro primo ingressu recipiatur in præjudicium annui Canonis.

TITULUS XX.

De Testamentis.

Parochianorum testamenta coram duobus vel tribus testibus a Parochis facta declarantur valida, nisi obstet statutum, quo juris civilis dispositio servari præcipitur: idem dicendum de testamentis ad piâs causas: laudatur etiam consuetudo, qua Episcopi aliquid applicant de hæreditate pro anima defuncti, qui ab intestato decessit.

TITULUS XXI.

De Regularibus.

Vetatur, ne Regulares ad Subdiaconatum promoveantur, nisi authenticum Superioris sui testimonium de emissâ solemni professione & præviis exercitiis sacris exhibuerint: Sacros vero Ordines nonnisi ab Episcopo loci recipiant.

TITU-

TITULUS XXII.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

De Statu Monachorum atque Eremitarum.

Præcipitur Episcopis, ut juxta regulas a Benedicto XIII. P præscriptas Eremitarum statum reparari curent: Eremitæ vero quotannis Episcopo de suis Ecclesiis, eremis, eleemosynis, & vitæ profectu rationem reddant.

TITULUS XXIII.

De Religiosis Domibus.

Jubentur Episcopi, ut visitent Laicorum Confraternitates, & a locorum piorum Oeconomis administrationum rationes exigant.

TITULUS XXIV.

De Jure Patronatus.

Inquirant Episcopi, quinam Patronatus cujuscunque Diæcesis sint legitimi, justoque titulo acquisiti, ac de super ad Sedem Apostolicam referant.

TITULUS XXV.

De Consecratione Ecclesiæ.

Demandatur Episcopis, ut altaria necdum perfecta, perfici, & consecrari atque Encennia celebrari curent.

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

B Ti-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

TITULUS XXVI.

De Baptismo & Confirm.

Fons baptismalis bis in anno benedicatur, & Baptizati candida veste induantur, ac catechismus Baptizandorum extra, Baptismus vero intra Ecclesiam ministretur, denique Confirmatio quotannis in Urbe, & in Diœcesi saltem tempore visitationis ministretur, & quidem mane, & a jejuno jejunis, & adultis non nisi Confessione Sacramentali expiatis.

TITULUS XXVII.

De Ecclesiis ædific.

Disponitur, ut fructus primi anni de quolibet beneficio Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum fabricis applicentur.

TITULUS XXVIII.

De Immunitate.

Illius Violatores ab Episcopis perstringantur censuris Eccl. quibus subjaceant etiam laici, si juvenes a statu Ecclesiastico amplectendo arcent: Prohibetur etiam Laicis, ne officiorum Divinorum tempore intra septa Presbyteriorum vel Altarium ingrediantur.

TITU-

TITULUS XXIX.

De Accusationibus.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Præcipitur, ut in Synodis Provincialibus testes eligantur, qui in ea, quæ in Diæcesi corrigenda occurrunt, inquirent, & ad Episcopum referant.

TITULUS XXX.

De Magistris.

Observari jubetur Tridentini decretum circa Seminaria jam erecta: circa erigenda autem inculcatur Benedicti XIII. Constitutio, vi cujus ad S. Ordines promovendi saltem per semestre Theologiæ morali, sacris ritibus &c. ibidem imbuendi essent.

TITULUS XXXI.

De Sent. Excom.

Caute utendum iis est, ubi alia suppetunt juris remedia.

TITULUS XXXII.

De Pœnit. & Remiss.

Excommunicatur Medicus, si tertio ad ægrotum invisat, Sacramento pœnitentiæ nondum expiatum: In Cathedralibus instituatur præbenda pro

B 2

Pœ-

Sæc. XVII.
A. C. 1725.

Pœnitentiario, qui stans diebus & horis in Confessionali sedeat, & tunc tantum fructus faciat suos, ac si choro interfuisset.

His decretis addita est Appendix de explicanda doctrina Christiana, aliisque ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus. Porro cuncta hujus Synodi decreta cum originalibus collata Pontifex Romæ imprimi, ac promulgari jussit, editis desuper hisce literis:

Quatuor cum supra centum Romani nostri Concilii Decreta, sub duobus, & triginta Titulis, Decretalium more, disposita, octo inter Solemnes Sessiones, Mensibus proxime præteritis Aprili, & Majo, Sacrosancta in Basilica nostra Lateranensi a Nobis, cum Vestrum omnium Conventu, celebratas, unanimi consensu lecta, lata, & promulgata fuerint, atque in unum inde collecta volumen, illarum etiam Appendicem referens Sanctionum, & Constitutionum, quas ejusdem Concilii occasione statuendas judicavimus, cum originalibus jam collata, typis Alma in hac Urbe nostra sollicitè imprimenda curaverimus; illam et tandem, post quatuor plane menses, in ipsis diligenter, emendateque cudendis insumptos, decurrente hoc mense in lucem publicam prodiiisse significamus. Ne vero aliquam superiis, quibus, ut evitentur, vel executioni mandentur, certa ibi tempora præstituantur,

tur, quandonam scilicet eos, ad quos per-
 tinent, obligare cœperint, dubitationem
 suboriri contingat, omnes, & singuli, præ-
 sentium vigore, volumus, a die inferius
 signanda, Decretis ipsis Concilii, univer-
 sisque aliis Sanctionibus, & Constitutioni-
 bus, ibidem relatis, obligari cœpisse sciant,
 prout eos obligatos esse, denuntiamus. Ut
 hoc autem ad omnium notitiam perveniat,
 nostras has literas de more in *Almæ* ejus-
 dem nostræ Urbis locis solitis legi, publi-
 cari, & affigi jubemus; ac inde cujuscumque
 excusationem, quod ea ignoraverit, ullatenus
 non admitti, Auctoritate Apostolica,
 statuimus, ac declaramus; quibuscumque in
 contrarium non obstantibus. Datum Ro-
 mæ die 25. Octobr.

Absoluto hoc Concilio PP. Grave-
 sonius & Bardonus Dominicani rursus,
 uti jam ineunte Pontificatu petierant,
 Benedicto XIII. enixe supplicabant, ut
 Pauli V. Bullam, qua contra Molinæ
 systema controversia de *Auxiliis* defini-
 retur, promulgare vellet. Horum pre-
 cibus haud difficilem se reddidit Ponti-
 fex, moxque jussit, ut illa ex Archivo
 arcis Hadrianæ extraheretur. Repe-
 riuntur binæ illius formulæ, cum au-
 tem earum nulla a Paulo V. subscripta
 esset, hinc Pontifex eam publici juris
 facere, haud consultum duxit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

§. III.

*Controversiæ Udlingenschwiltensis
origo.*

*Binner Ap-
parat.
Part. X.
pag 561.
Hotting.
Hist. Helvet.
lib. 8. p. 284.
Bochat me-
moir. pour
servir &c.*

Sicut nulla scintilla adeo parva est, quin incautius neglecta magnum excitare valeat incendium, sic & ex levissima profus causa apud Helvetios maxima hoc anno enata est contentio, qua Lucernensis Magistratus cum Episcopo Constantiensi, Nuntio Apostolico ipsoque adeo summo Pontifice graviter collidebatur. Res ita contigit. Die Dominica duodecima Augusti Udlingenschwilæ, Pago in Præfectura Habspurgensi Lucernensis ditionis, celebrabatur festum Dedicationis ejusdem Templi: Visum erat Christiano Leontio Anderman illius loci Parocho, longe decentius fore, si populus hanc festivitatem pietatis operibus, ac singulari religione celebraret, præcipue vero a commestationibus, aleis, & choreis abstineret, eoquod eo tempore publicæ indictæ fuissent preces pro obtinenda aeris serenitate.

*Part. I.
tit. 23. c. 7.*

Cum autem Parochus in decretis Constantiensis Synodi sancitum nosset, quod Parochi cum Magistratu agant, ut diebus Dominicis & festivis ludicra spectacula, choreæ & saltationes non permittantur,

tur, hinc die secunda Augusti Lucernæ Rudolphum Moor Præfectum convenit, eidemque exposuit, minime congruere, ut Dedicationis festum inhonestis choreis ac tripudiis profanaretur, cum potius pro evertenda communi calamitate Divinum Numen exorandum esset, eoquod & pluvix per aliquot septimanas continuatæ certam frugum perniciem minitarentur. Ad hæc vero reposuit Prætor, ubique choreas publice agere, hisce diebus permissum esse, proin hoc delectamenti genus nec Udlingenschwillensibus denegari posse. Ergo peracta re Divina, annuente Præfecto, choreæ festiva dedicationis die ducuntur, nemine prorsus reclamante. Die autem decima quinta ejusdem Mensis Parochus populo annuntiat, per tres continuos dies, exposito Sanctissimo publicas haberi preces, ut Numinis ira placaretur, solemnem autem comprecationem minime compati cum publicis ac clamorosis saltationibus, easque proin his diebus esse interdictas. Verum instante Caupone Præfectus per Præconem, præfente Parocho, plenam publicas choreas ducendi facultatem cunctis concessit: Die igitur illa, & sequentibus libere saltationi indulgetur, Parochus vero die decima nona, in qua Domi-

Sæc. XVIII.
 A C 1725.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

nica inciderat, perlectis Evangelii ver-
bis populo denuntiat, quod grave pa-
trassent peccatum, proin Pastoris sui
voci rebelles noxam Sacramentali con-
fessione eluerent, scriptumque peractæ
confessionis testimonium proxime affer-
rent. Paruere omnes, exceptis duo-
bus, quorum pertinaciam, ut frange-
ret Parochus, termini loco diem vige-
simam septimam Augusti, præfixit,
intra quod spatium, si non resipisce-
rent, Sacramentorum usum sibi inter-
dictum scirent.

§. IV.

Hæc causa in utroque foro agitata.

Tum vero mutuæ contentioni datur
initium; Senatus quippe Lucer-
nensis jurisdictionem suam læsam ra-
tus, Parochum per Constantiensis Epi-
scopi Commissarium nomine Rislerum
ad diem duodecimam Septembris com-
parere jubet. Hic vero datis ad Sena-
tum literis exponit, obstare exemptio-
nem a foro laico; choreas, prout agi
solerent, esse in se illicitas, a quocun-
que demum permitterentur; nec ferias
ab opere servili eo fine indici, ut dies
Deo sacri in ebrietatibus atque inho-
nestis ejusmodi oblectationibus infume-
rentur; Parochi ergo esse, eas prohi-
bere,

bere, seque hac in re magis Deo, quam hominibus obedire debuisse, proin sperare, ipsum Senatum ejusmodi corruptelis sua etiam auctoritate deinceps obviam iturum, & a molesta hac vexatione destitutum: Eodem ferme tenore ipse Parochus ad citationis literas die septima Septembris sibi consignatas, die decima quarta ejusdem Mensis respondit, & opposita fori exceptione declaravit, se sine Episcopi sui jussu comparere non posse. Verum officiosa utriusque excusatio novæ indignationis argumentum exstitit. Senatus ergo habita deliberatione statuit, Parocho per Apparitorem denuo esse præcipiendum, ut die decima nona Septembris coram utroque Consule compareret; secus in contumaciæ poenam exilio mulctandum fore. Vix hoc Senatus mandatum perceperat Parochus, cum illico literis modestia, ac submissione plenis inducias sibi indulgeri peteret, ut quid hac in re agendum, a suo Episcopo interim exploraret. Sed surdas pulsabat aures; Senatus quippe eadem die decima nona Septembris Parochum ceu contumacem amovit, atque intra viginti quatuor horarum spatium e ditione Lucernensi excedere jussit, in ejus locum subrogato quodam P. Capuccino. Re comperta Joannes Fran-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

ciscus Constantiensis Episcopus die trigesima ejusdem Mensis ad Lucernensem Senatum literas dedit, in quibus sua & Ecclesiæ jura palam violari quebatur, ac Senatum gravibus omnino verbis monebat, ut Parochum restitui juberet. Ast Lucernenses die duodecima Octobris Episcopo rescribere, Senatui tanquam supremo Domino jus competere, ut delinquentes Clericos citare, necnon contumaces exilii pœna afficere posset, atque hoc jus longævo etiam usu & antiquissimo privilegio esse munitum. Eadem quoque die, qua Senatus ad Episcopum has dedit literas, Parochianis injunxit, ut intra descendium, prout id juris ipsis conveniret, novum Parochum nominarent. Hi ergo die decima quarta Octobris Sacerdotem quemdam, nomine Nicolaum Müllerum designarunt, cui tamen confirmatio Ecclesiastica & cura Pastoralis ab Episcopo neutiquam concessa est. Tentabat tum Dominicus Passionæus Sedis Apostolicæ apud Helvetios Nuntius, tam monitis, ac precibus, quam auctoritate Senatum ad saniora reducere. Cum autem Lucernenses iterata Nuntii æque ac Episcopi monita flocci haberent, Passionæus clam Lucerna excessit, & Altorffium, haud ignobile in Uraniensi Cantone oppidum, die vigesima

gesima octava Octobris ex Pontificis Sæc. XVIII.
 mandato suam Sedem transtulit, re- A.C. 1725.
 lieto scripto, quo in discessus sui
 causam obtendebat violatam immu-
 nitatem Ecclesiasticam: Postea aliis li-
 teris prima Novembris die datis ex-
 actam non minus ac sinceram indignis-
 simæ hujus violentiæ relationem Sena-
 tui consignari jussit, ex qua hic colli-
 geret, quam graves & justæ fuerint
 rationes, quibus permotus Pontifex
 Nuntii sui Tribunal transferri præce-
 pisset. Episcopus quoque alio scripto
 die vigesima sexta Octobris declarabat,
 quod Sacerdotem nuper nominatum
ad curam ibi administrandam admittere ne-
queat, sed potius contra illum canonica
remedia adhibere cogatur. Demum die
 secunda Novembris sua jura, ac im-
 munitatem Ecclesiasticam propugnaturus,
 ex Codice Theodosiano, Capitularibus
 Francorum, & Herardi Archiepiscopi
 Turonensis in Synodo Exoniensi Anno
 1287. necnon ex Constitutione Friderici
 II. Imp. docuit, *fas non esse, ut Divini*
muneris Ministri temporalium potestatum
subdantur arbitrio, imo potius præcipi,
ut nullus Ecclesiasticam Personam in
criminali quæstione vel Civili ad sæculari
judicium præsumat atrahere: Præterea
 Episcopus Senatui in memoriam revocavit,
 quod is quidem Anno

Anno

Sæc. XVIII. Anno 1573. in pari ferme causa anti-
A. C. 1725. quam in Clericos animadvertendi consuetu-
 dinem contra Pontificem obtenderit, Gregorius autem XIII. palam declara-
 rit, *nulla omnino consuetudine quamvis ve-*
tustissima & ipsorum etiam Clericorum vo-
luntate roborata fieri posse, ut Laici de
Clericis judicent. Ad hasce tamen Epi-
 scopi rationes obmutuere Lucernenses,
 & duntaxat die 9. Nov. reposuerunt,
 indecens fore, ut Princeps unacum re-
 belli suo subdito ad iudicium trahatur,
 & primum experiri cogatur, an non
 ab extero Iudice ad eiusmodi subditum
 in sua ditione tolerandum compellatur:
 quapropter se nullatenus dubitare, quin
 Episcopus Parochum recens nomina-
 tum prævio examine ad curam ani-
 marum exercendam admissurus sit: va-
 lere quidem in certis casibus immuni-
 tatis privilegia, nunquam tamen con-
 tra antiquas Lucernensium consuetu-
 dines; indignum etiam esse, ut privi-
 legium a laica potestate concessum in
 ejusdem potestatis destructionem con-
 verteretur, præcipue cum eiusmodi
 favor indultus esset Ecclesiasticis, ut
 eo tranquillius suæ vocationi, & ani-
 marum saluti invigilarent, non autem,
 ut eiusmodi immunitatis præsidio ini-
 quitatem, pervicaciam, & rebellio-
 nem contra suos Principes contegerent.

Ve-

Verum ad hæc Constantiensis Episcopus die decima octava Decembris reposuit, haud sibi ignotum esse, illud Sæc. XVIII
A. C. 1725. illud jus, quod supremis Principibus in crimine perduellionis, in periculo seditionis, & perturbatione pacis publicæ ad tuendam Rempublicam, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, competeret, nec tamen se ignorare, quod Clericus ad S. Ordines promotus Principis laici subditus esse desineret, atque ab ejus jurisdictione *coercitiva* eximeretur &c.

§. V.

Pontificis sollicitudo pro componenda hac controversia.

Hucusque præsentis controversiæ flamma sub domesticis veluti cineribus latere videbatur, atque etiamnum spes affulgebat, fore, ut propositis ultro citroque rationum mementis res componi posset: Cum autem Episcopus cunctis remediis incassum adhibitis Lucernensium duritiem vincere haud valeret, summi Pontificis præsidium implorabat, atque ad eundem totam facti speciem, prout a præfato Parocho erat relata, transmisit hoc tenore: „Anno Domini „1725. & primum quidem 10. Augusti „festo

Sæc. XVIII. „ festo S. Laurentii Jodocus Kayser,
 A. C. 1725. „ in Parochia mea caupo, duo pecora
 „ mactavit, proxime vero sequente Do-
 „ minica, quæ Anniversaria erat dedica-
 „ tionis Ecclesiæ nostræ, choreas de
 „ die, ac nocte instituit absque meo
 „ præscitu, ne dicam licentia, quan-
 „ quam de industria dissimulaverim.
 „ Erat tunc temporis per aliquot septi-
 „ manas tristissimum cœlum, continua
 „ pluvia, frugumque timenda pernicies,
 „ quare ad exemplum catholicæ vici-
 „ niæ, atque ipsis Parochianis expeten-
 „ tibus, festo Beatissimæ Virginis Ma-
 „ riæ indixi comprecationem coram San-
 „ ctissimo Venerabili quatuor exinde con-
 „ sequentibus Festis diebus peragendam.
 „ Qui cum choreas atque insolentias
 „ minime congruere judicarem, hinc &
 „ iisdem diebus eas interdixi, ne oratio
 „ fiat in peccatum. Sacris functionibus
 „ peractis me caupo, cui pri-
 „ mum quidem exprobravi, perperam
 „ egisse undecimo, & duodecimo Au-
 „ gusti, quæ jam superius memorata
 „ sunt. Qua de causa nempe, quod
 „ sine licentia mactaverit in festo S. Lau-
 „ rentii, expetii multam hic locorum
 „ solitam (den Barsch 55. assium Lu-
 „ cernensium) caupo is valde con-
 „ temtim explosit, atque nihilominus
 „ in crastinum (qui dies erat festus san-
 „ ctis

„ctis Theodolo & Rocho) choreas agi-
 „tandi licentiam petiit, reposui mini-
 „me convenire, ut, quod palam hodie
 „in Ecclesia interdixerim, jam rursus
 „indulgeam, non esse de tempore tam
 „tristi, ut propter choreas prorogetur
 „comprecatio, neque cum comprecatione
 „saltum coram Numine placando
 „consistere: Præterquam quod
 „per æstatem omnia fere festa ingruente
 „necessitate laborando profanata sint,
 „non ergo decere, ut iisdem diebus
 „festis, quibus solum ob pluviam labo-
 „rari non possit, injuria sit; caupo ad
 „hæc contemtim caput succutiendo,
 „quid mihi vobiscum? superest vobis
 „potior alius, dabit ille licentiam, si
 „vos negatis, quo dicto excessit, &
 „quod conjiciendum, in urbem ad Præ-
 „nobilem Dominum Rudolphum Moor;
 „quarta ejusdem diei promeridiana hora
 „rediit ad me caupo, & capite semper
 „aperto, hæc ad me; Prænobilis Do-
 „minus mihi fatus est, quod nisi Do-
 „minus Parochus in crastinum licentiam
 „saltandi velit impertiri, velit alium
 „quicumque libuerit mihi diem ad agi-
 „tandas choreas definire, ita quidem
 „ut si Parochum de hac licentia pariter
 „obtinenda rogem, Prænobilis Dominus
 „10 florenis me sit multaturus, quid igitur
 „dabitis ne licentiam necne? mi-
 „ni.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sec. XVIII. „nime inquiebam, nec induci pos-
A. C. 1725. „sum, ut credam, te a Prænobili Do-
 „mino tam exotica commissione insti-
 „tutum fuisse, dudum fuisti nequam,
 „proprii commodi auceps, atque de
 „mendaciis sæpius deprehensus, vade,
 „fidem tibi non habeo, neque tibi li-
 „centiam saltandi concedo. Caupo
 „rursus in urbem inde redux sub noctem
 „affert abs Prænobili Domino literas,
 „tam ad apparitorem, cras in Ecclesia
 „palam perlegendas, tam ad me, quæ
 „primum postridie acceptæ satis indi-
 „cabant, quid eventurum erat. Per-
 „actis igitur postridie sacris literæ ad
 „apparitorem datæ in Ecclesia lectæ
 „sunt, quarum synopsis est sub litera A.
 „Hac indignitate merito commotus ad
 „meos inquiebam, variis de causis, quas
 „jam heri proposueram, saltum me in-
 „terdixisse, id porro hodie fixum esse,
 „me comperturum, quas oves morige-
 „ras, quas cornupedes habeam, sed hisce
 „insuperhabitis nonnulli ex procacio-
 „ribus post meridiem ad publicum sub
 „die saltum prodeunt; ibique vel plu-
 „vio cælo propudiosis gestibus & insultationibus choreas peragunt, easque
 „tota nocte in ipsum diem Veneris inter
 „execrationes & verbera prosequuntur.
 „Proxime sequens Dominica opportu-
 „num ex Evangelio textum mihi thema
 „sub-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„subministravit: ite, ostendite vos Sa-
 „cerdotibus &c. cujus occasione iis,
 „qui contra Ecclesiæ obedientiam tam
 „propudiosis gestibus saltaverunt, in-
 „iunxi sacram, & sinceram confessio-
 „nem, in cujus peractæ fidem schedam
 „mihi deferre debeant. Paruere om-
 „nes, & cum ingenti gratiarum actione
 „de correctione schediasma retulere:
 „omnes inquam, præter duos, quos ea
 „de causa in catechesi proximæ Domi-
 „nicæ 26. Augusti iterum cohortatus, &
 „nisi morem gerant, graviora commina-
 „tus, ad obedientiam redegei, omnia
 „tunc salva esse ratus. Ad festum sancti
 „Bartholomæi Apostoli Prænobilis Do-
 „minus quinque, ut vocant juratis pro-
 „xima sibi invicem necessitate conjun-
 „ctis, eorumque tribus mihi vehemen-
 „ter infensis, ut quid a me dictum,
 „factumque sit, vel ore, vel calamo re-
 „ferrent, injungit: dictum, factumque.
 „27. Augusti, quæ illi oretenus depo-
 „suerunt, a Prænobili Domino ad Il-
 „lustrissimum Senatam deferuntur, at-
 „que non levem adversus me indigna-
 „tionem concitant. Intervenienti ta-
 „men Illustrissimo Domino Schulteto
 „Dürler, ut audiatur & altera pars,
 „committitur, ut præsentem Prænobili
 „Domino me coram audiat. 28. Au-
 „gusti misit Illustrissimus Dominus
Hist. Eccles. Tom. LXXII. C „Schul-

Sec. XVIII. „Schultetus Dürler, qui mihi signifi-
A. C. 1725. „cavit, ut qua possim proxima occa-
 „sione ipsum adeam, sed per injuriam
 „tempestatis, & alia negotia non lice-
 „bat, ut me celerius quam 30. Augusti
 „eo conferrem, atque abs Reveren-
 „dissimo Domino Commissario, quem
 „antea consultaveram, ad informandum
 „dimissus comparerem. Proponente
 „Illustrissimo Domino Sculteto, & ac-
 „cusante Prænobili Domino, qui con-
 „festim adfuit, ea respondi, ex quibus
 „uterque conclusit, me quidem saltum
 „non absque justis rationibus interdi-
 „xisse, ac salutem animarum bonum-
 „que publicum intendisse, at quia con-
 „fessione injuncta eos, qui tamen ex
 „Prænobilis Domini licentia saltassent,
 „multaverim, derogasse me Illustrissimi
 „Senatus auctoritati, ac supremæ po-
 „testati: excusavi, ut potui, meam
 „hujus offensæ inadvertentiam, & bona
 „spe rem bene transigendam dimissus
 „abii. 31. Augusti hæc omnia defe-
 „runtur ad interiorem Senatum; mit-
 „titur, ut vocant, magnus Apparitor
 „ad Reverendissimum Dominum Com-
 „missarium, cui significaret, ut me
 „7. Septembris coram Illustrissimo Se-
 „natu sistat, atque cum apud Illustris-
 „simum Dominum Scultetum de in-
 „competente foro potestatus, id se
 „posse

„posse negaret, proximo Senatus Con-
 „sulto in 12. diem Septembris sub si-
 „gillo Cancellariæ in Curiam citor.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

4. Septembris citatione hac pridie
 „accepta mihi Reverendissimus Domi-
 „nus Commissarius serio injunxit, ne
 „ipsum compaream, literis tamen Illu-
 „strissimum Senatum conveniam, qua-
 „rum copia est sub Lit. C. Parui, sed
 „eo eventu, ut coactis non solum in-
 „terioris Consilii Assessoribus, sed &
 „Centumviris (Räth, und hundert)
 „denuo in 19. Septemb. ad Curiam sub
 „sigillo sancti Leodegarii citatus fue-
 „rim, nisi obsequar, urbe & agro pro-
 „scribendus. Secundæ hujus citationis
 „copia est sub litera D. Attulit mihi
 „hanc citationem 17. Septembris Cur-
 „sor urbicus duobus viris, qui eum
 „comitentur, stipatus. Exhibui ean-
 „dem citationem convenienti loco, &
 „Judici, ne quid ex mea sententia age-
 „rem, graviter inhibitus. Die 19. Septem-
 „bris literas dedi ad Illustrissimos Pro-
 „ceres, quibus meam purgavi ipsis ab-
 „sentiam sub Lit. C. Evenit, quod facile
 „ominari poteram, adfuit . . . hora se-
 „cunda promeridiana ejusdem diei cur-
 „sor urbicus iterum viris comitatus,
 „qui exhibuit mihi sub majori Sigillo
 „sancti Leodegarii proscriptionem, at-
 „que mandatum intra horas 24. solum

C 2

„ver-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„vertendi, ni violenter abduci velim;
„Copia proscriptionis est sub Lit. F.
„Exterminatus edicto tam ferali totam
„exinde noctem infomnis, & quo me
„tam cito verterem, consilii anceps, id
„solatii sequenti mane accepi, quod
„vicinus Reverendus Dominus Carolus
„Franciscus Sidler Parochus in Kùs-
„nacht ad me accesserit, me, meos-
„que consolans, ut præfixum termi-
„num anteverterem, urgens: postquam
„Divos Ecclesiæ meæ Tutelares extre-
„mum salutarem, complorantibus Pa-
„rochianis, me in suas sedes abdu-
„xit, ubi adhucdum ago, quousque
„Deus Ter. Opt. Max. melius provideat;
„ita sub fide Sacerdotali testor, Con-
„stantiæ datum 30. Novembris 1725.

*Christianus Leontius Andermatt,
Parochus in Udlingen Schweiß*

§. VI.

*Lucernensis Reipublicæ querelæ con-
tra Apostolicum Nuntium ad
Papam.*

Ad hæc minime otiosi perstabant Lu-
cernensis Reipublicæ Senatores,
sed potius, ut suis querelis majus pon-
dus accederet, ad ceteros Catholicos
gentis suæ Pagos literas dederunt,
qui

quibus Sedis Apostolicæ Nuntium, quin ulli valediceret, clam discessisse querebantur, unaque eos ad vindicanda Reipublicæ jura ab eodem, quemadmodum & ab Episcopo graviter læsa, ex titulo mutui foederis animabant: Verum hi cum illis causæ societatem inire renuebant, seque duntaxat mediatorum partes acturos declarabant: Ast major Lucernensium sollicitudo eo collimabat, ut Pontifici facinus suum quodammodo colorarent; præprimis ergo die nona Novembris criminabantur Nuntii Apostolici abitum, datis super hoc ejusmodi literis.

Sec. XVIII.
A. C. 1725.

Sanctissime Pater!

„Non facile explicabimus animi No-
„stri affectum, quo perculsi fuimus, cum
„Dominum Passionei Sanctitatis Vestræ
„Nuntium ordinarium se ex mandato
„speciali Sanctitatis Vestræ Civitatem
„Nostram reliquisse profiteri audivimus,
„nam, quod nemine salutato, discessu
„non indicto, per tenebras dignitatis
„charactere, omnique convenientia
„civili neglectis exierit, parum nos
„movit, jam ab ingressu suo alienati
„sui a nobis animi instructos, sed man-
„datum illud, si verum, intima Cordis
„nostri perturbat, licet enim nobis inde

C 3

„con-

Sæc. XVIII. „conjicere, quod aut fictitiis, aut saltem
 A. C. 1725. „ad sinistram detortis, ut pridem antea,
 „ita de novo Sanctitatis Vestræ pater-
 „num animum exulceraverit. cum au-
 „tem, quid prætendat, nesciamus, ni-
 „hil nobis reliquum, quam ad Sancti-
 „tatis Vestræ pedes ingenue declarare,
 „quod non solum ad tam exosum di-
 „scessum occasionem non dederimus, sed
 „nec ulla inter nos nova sit exorta aut
 „contentio, aut differentia. Speramus
 „inde propitiam, & apertam Sanctita-
 „tis Vestræ aurem, quando certius de
 „hoc informatam Sanctitatem quoque
 „vestram, illa, qua par est, obedientia
 „filiali veritatis certiolem reddemus,
 „interim humillimo pedum osculo, nos,
 „Nostraque demississime commenda-
 „mus. „

Verum literæ istæ parum aut nihil omnino contra Nuntium Apostolicum profecerunt: Hic quippe jam antea in suas etiam partes pertraxerat Hanibalem Cardinalem Albanum, qui quamvis Helveticæ gentis Protector esset, ad Nuntii tamen relationem hoc factum Reipublicæ vehementer exprobrabat.

§. VII.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.*Ejusdem Reipublicæ responsum ad
litteras Constantiensis Episcopi.*

Interim Joannes Franciscus Constantiensis Episcopus missis ad Senatum literis die decima octava Decembris omnem conatum adhibuit, ut Præto-rem & Senatores ad reparanda, quæ graviter fuisse læsa ajebat, Ecclesiæ jura induceret, ne acerbiora remedia malo invalescenti opponere cogeretur: Verum ad hæc Senatus respondit, saltationem rem esse mere temporalem, jurisdictioni Senatus subjectam, sæpiusque ab eodem, vel a locorum Præfectis permissam aut negatam; hoc autem Reipublicæ jus a Parocho petulanter non minus, quam studiose fuisse infractum, violatumque, ac insuperhabitis monitis pertinaciter usurpatum; favere Senatui præter praxin continuam, etiam Constitutiones Synodales Diæcesis Constantiensis: male etiam consultum fore Principi, aut liberæ Reipublicæ, si publice delinquentem, contumacem, Regiorum jurium invasorem Clericum in jus vocare, illumque, si in contumacia sua persistit, tanquam membrum noxium e sua ditione eliminare non posset. Exiguam quidem esse Lucernensium

menta facili negotio diluit, respondit-
 que, Privilegium fori non uni Personæ
 sed toti Corpori Ecclesiastico a Deo fuisse
 concessum, approbantibus profanis
 Principibus: Clericorum quoque Judi-
 cem ordinarium esse Episcopum intra
 suam Diæcesin, hancque in eos, caus-
 fasque Ecclesiasticas potestatem judi-
 ciam a Christo Domino fuisse insti-
 tutam, ab Apostolis stabilitam, a S. Pa-
 tribus usu comprobata, a summis
 Pontificibus atque Imperatoribus con-
 firmatam. Se haud ignorare, quibus
 in casibus, & intra quos terminos Cle-
 rici forent supremo Principi, aut inde-
 pendentem Reipublicæ subiecti, casum
 vero, de quo controverteretur, nequa-
 quam esse talem, sed omnino Episco-
 pali jurisdictioni obnoxium. Clericos
 quidem esse cives Reipublicæ, sed a
 foro laicali exemptos & privilegiatos,
 hanc vero exemptionem ad ruinam sta-
 tus publici adeo non tendere, ut feli-
 cissimi ac potentissimi fuerint illi Impe-
 ratores & Reges, in quorum ditioni-
 bus hujus privilegii usus illibate vigi-
 set: rem denique videri omnino no-
 vam, & hucusque vix auditam, quod
 Parochus ab Ecclesia institutus, sine
 ullo ad potestatem Ecclesiasticam re-
 cursu a Principe Catholico deponeretur,
 & relegeretur: in decreto autem Syno-
 dali

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

dali non esse constitutum, ut Magistratus repugnante Parocho saltationes permittere valeat, sed duntaxat, ut *Parochi curent*, AGANTQUE CUM MAGISTRATU, ut diebus Dominicis & festiuis ludicra & sæcularia spectacula, chorea & saltationes tempore Divinorum Officiorum, Concionum, Catechesis, & Vesperarum NON PERMITTANTUR.

§. VIII.

Epistola Lucernensium ad Benedictum XIII. Papam in eadem causa.

Cum Lucernenses ad nuperas suas literas responsum sibi minus acceptum a summo Pontifice recepissent, sibi que persuasum haberent, quod Pontifex de tota hac controversia per Nuntium & Episcopum Constantiensem male edoctus fuerit, hinc die vigesima septima Decembris ad eundem succinctam facti relationem submisere, hisce literis:

Santissime Pater!

„Intelleximus ultimo a nobis trans-
„missa Beatitudinem Vestram perlegere
„non dedignatam fuisse; id sane, ut
„par est, summo nos gaudio affecit,
„faci-

„facile enim ex tam insigni Benevo-
 „lencia paterni animi affectum colligere
 „potuimus. Tanta favor nobis inter
 „tot mœrores, quibus conflictamur,
 „erexit animum, adauxit fiduciam, ut
 „reiteratis humillimis precibus, san-
 „ctissimis advoluti pedibus acclusam
 „facti speciem paterno subjiciamus ocu-
 „lo, quam si Sanctitas Vestra perlegere
 „dignaretur, rei veritatem Patrio,
 „ac innato candore delineatam, nullis
 „illinctam fucis perspectam habebit. „

„Faveat petitis nostris benignitas,
 „& Clementia Beatitudinis Vestræ,
 „quam tot laudibus Universum decan-
 „tat, nec nos aliorum objiciat male-
 „volentia, qui per ruinas nostras ad
 „excelsa sibi viam sternere cupiunt; tam
 „firmo, tam potenti, si beamur pa-
 „trocinio, devotione, & obedientia
 „nulli gentium secundi testatum facie-
 „mus, Beatitudinem Vestram, nec in-
 „ingratos nec in immemores tot gra-
 „tias, tot favores congestisse, qui de-
 „mississimo pedis osculo, nos, nostra-
 „que humillime commendamus. „

Species facti.

„In Ecclesiarum Dedicatione per-
 „actis, cum modestia, & devotione, ante,
 „& pomeridianis sacris Solemnitatibus
 „illico

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Cap. XVIII. „illico gens rustica reliquam diei plausu,
A. J. 1725. „choreis, honestaque relaxatione animi
 „hilare, & festive traducit, usu tam
 „inveterato, ut ipsius Reipublicæ ex-
 „ordiis congenitus videatur.„

„Ut autem in Ecclesia Encæniarum
 „celebratur Octava, sic in foro reite-
 „rantur tripudia paganalia, aut ipsa in
 „die Octava, aut vero in festiva hebdo-
 „madis decursu die, quam feriare Ro-
 „manæ Ecclesiæ statuta præcipiunt.„

„In 12. Elapsi Mensis Augusti inci-
 „dit dedicatio Ecclesiæ Parochialis in
 „Ullingen Schweil ob Commemoratio-
 „nem S. Theoduli, & Rochi: Ast paga-
 „nalia in 16. ex supra allatis rationibus
 „fuere translata, utrique diei a Præ-
 „fecto nostro in hac regiuncula locum
 „tenente publica saltatio concessa, Pa-
 „rocho Domino Leontio Andermatt,
 „quem secunda prædicti Mensis die casu
 „Lucernæ convenit, concessæ faculta-
 „tis haud obscure conscio.

„Ipsa Encæniarum Festivitas ne-
 „mine quidquam contra movente hilare
 „peragitur, cum decima, quinta, sexta,
 „& nona (non obstante Præfecti indulto
 „pro decima sexta) Parochus propria
 „Auctoritate tripudia, & saltationes
 „inhibuit nullibi publicis necessitatibus,
 „quarum de caussa nos ipsi sæpius li-
 „cen-

„centiam severis coercemus Edictis, a-
 „perte adhuc ingruentibus.

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

„Hoc Edicto Caupo pagi, quem in-
 „ter & Parochum crebra gliscebant dif-
 „sidia, se maxime perstringi luculenter
 „sentiebat: Hic enim fretus Præfecti
 „concessione esculenta plurima conges-
 „serat, copiosum ex affluentia populi lu-
 „crum sibi spondens: metu damni debi-
 „tis aliunde obærat, Parochum
 „de revocatione edicti supplex accedit,
 „rogat, imo nullum non lapidem mo-
 „vet, ut exoraret, cum autem cona-
 „tus irritos, & preces incassum fun-
 „dere animadvertit, Præfecto sua gra-
 „vamina exponit, qui, cum desuper suæ
 „jussionis rationem nullam haberi per-
 „spexisset, per reducem cauponem
 „mox manu propria exaratis literis Pa-
 „rochum a sententia dimovere, &
 „ad saniolem (nullo tamen profectu)
 „inflexere adlaboravit. „

„Decima nona die etenim reiterata
 „sacra Evangelii lectione de decem Le-
 „prosis, Parochus saltatores iisdem tam
 „inconcinnis comparavit ineptiis, ut
 „plurimis stomachum moveret, hebe-
 „tioribus vero non parvam scandali
 „præberet occasionem. „

„Non stetit autem insolens dicaci-
 „tas tam modicis conscripta limitibus.
 „quippe omnes, qui saltationi inter-
 „fuere,

Sæc. XVIII. „fuere, de gravissimo arguit peccato,
 A. C. 1725. „admonet, turpes Conscientiæ noxas
 „inobedientia contractas Confessionis
 „Sacramento expurgarent, sibi que te-
 „stimonium peractæ Pœnitentiæ Confes-
 „soris chirographo munitum referrent.
 „Mysterioso Sacrificio Missæ ad finem
 „perducto, salutiferæ undæ aspersione
 „populo Benedictionem impertiens me-
 „dia in Ecclesia palam omnibus denun-
 „tial, ne quis a se dicta maligne Nobis
 „deferret, se jura Superioritatis intacta
 „relinquere, sui autem esse arbitrii, in
 „hebdomadis decursu saltationem con-
 „cedere, aut abrogare. „

„Decima quinta hæc omnia acci-
 „derunt. „

„Cum tandem rei male cæptæ 26.
 „supradicti mensis ultimum colopho-
 „nem imposuit: schedas peractæ Con-
 „fessionis testes aliqui non detulerant,
 „unde novo æstu correptus Christianæ
 „fidei dogmata explanans elata voce
 „intonuit, sibi ratum, & fixum, man-
 „datis suis contumaces, diro Ecclesiæ
 „fulmine, seu Sanctissimorum Sacra-
 „mentorū interdicto percussurum,
 „nisi in crastinum usque solis occasum
 „sibi morem gererent. „

„Tot æstuantis animi indicia, queis
 „undequaque Præfecti facultatem su-
 „gillabat, jurati ejusdem regiunculæ
 „nostræ

„nostræ locum tenenti oretenus, dein-
 „de scripto notum fecere, qui pro offi-
 „cio nos facti admonens, ut magis ve-
 „ritatem exploratam haberemus, Præ-
 „tori nostro mandavimus, rei seriem
 „ex ipso Parocho, præsentè Præfecto,
 „suaviter indagaret, qui, cum neuti-
 „quam contra se delata (paucis ex-
 „ceptis) quæ irrefragabili testimonio
 „non carent, inficias ire potuisset,
 „consultum, imobene actum fore duxi-
 „mus, eidem ipsi nostri animi sensa ex-
 „plicare, paterneque admonitum, ac
 „(uti sperabamus) ad meliorem fru-
 „gem reductum postea dimittere. „

„Hinc Commissarium Episcopalem,
 „cujus nec Patriæ consuetudines, nec
 „caussæ erant ignotæ, de sistendo Pa-
 „rocho compellamus, qui prætensa
 „canonum prohibitione, cum nos elu-
 „sisset, ac mox ipse Parochus, debitæ
 „suo Principi observantiæ admonitus
 „comparere, detrectasset, justa in-
 „dignatione succensi, ut comminatum
 „fuerat, intra spatium viginti quatuor
 „horarum ex ditione nostra faceffere
 „jussimus, requisita ad interim opera
 „Patrum Capucinatorum in administra-
 „tione Parœciæ, ne animæ periculum
 „pastori destitutis ovibus oboriretur. „

„Perlatae paulopost Episcopi Nostri
 „Constantiensis Literæ nos admonuere,
 „uti-

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

Sec. XVIII. „ut restituto in integrum Parocho sibi
 A. C. 1725. „causam discutiendam relinqueremus.

„Non ignari, nos toties refractarium am-
 „plius reaccipere non posse, multo mi-
 „nus nobis honorificum, nec accepta-
 „bile, cum subdito in iudicio conten-
 „dere, quod eidem etiam in responsis
 „solita modestia diffuse innuimus. „

„Ne autem sibi persuaderet, nos a
 „Sententia posse unquam dimoveri,
 „mandavimus inquilinis seu Communi-
 „tati in Uldingen Schweil (penes quos
 „jus Electionis proprii Pastoris residet)
 „elapso 14. dierum curriculo suffragia
 „in medium conferrent, novumque ani-
 „mæ Curatorem sibi adsciscerent, fuit-
 „que obtemperatum; ne autem gravior
 „tempeestas cieretur, perstant in Cha-
 „ritatis officio Patres Capucini, quibus
 „ut supra assertum, curam animarum
 „commendavimus, tum quæstiones,
 „& lites hinc inde mutuis transmissis
 „literis cum Præsule nostro exagita-
 „vimus omni studio, nec spes omnis,
 „exortas controversias pacate dirimen-
 „di, effluxisset defervescente primi im-
 „petus motu, ni repentinus, & inopina-
 „tus R. D. Nuntii discessus in pristinas
 „revolutiones, & turbas totum demer-
 „sisset negotium, eo præsertim, cum ob
 „hanc in controversia vertentem causam
 „(de qua tamen cum illo nec verbulum
 „in-

„intercesserat) Uraniam speciali Beati-
 „tudinis Vestræ jussu Sacram Nuntia-
 „turam transtulisse, ubique palam (no-
 „bis solis præteritis) non tantum evulga-
 „verit, sed & literis adjecta ampla facti
 „enarratione (hujus Exemplar ad nos
 „pervenit) nostris confœderatis notum
 „fecerit. „

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

„Ulceravit nos hic agendi modus,
 „imo mærore pene confecit facti spe-
 „cies sæpissime mendosa, quod defu-
 „per tam affabre compegit, ut ex parte
 „Parochi nil nisi rectum, nil nisi justum,
 „ex nostra omnia violenta, ac tumul-
 „tuaria elucescerent, quapropter invi-
 „tos, & reluctantes pepulit, ut longa
 „deductione veritatem confœderatis
 „aperiremus, quam modo in compen-
 „dium redactam, nec fucis, nec ficti-
 „tiis illinitam Sanctitati Vestræ humil-
 „lime præsentamus. „

§. IX.

*Benedicti XIII. Pontificis responsum
 ad Lucernensem Senatum.*

Acceptis hisce literis Benedictus XIII.
 summus Pontifex die tertia Januarii
 Anno 1726. hanc ad Senatum perscrip-
 sit epistolam.

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

D Di-

Sæc. XVIII.

A. C. 1725. *Dilectis Filiis Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

„Nec verbis, nec lacrymis adæ-
„quare possumus acerbissimum illum do-
„lorem, quem suscepimus, cum per
„literas Venerabilis Fratris Episcopi
„Constantiensis intelleximus, nonnul-
„los ex vobis præcipiti consilio, con-
„tra debitam Sacræ Auctoritati, & Di-
„gnitati Venerationem ea perpetrasse,
„quæ nunquam Mater Ecclesia a Filiis
„suis, nedum ab Ecclesiasticæ Liber-
„tatis defensoribus metuere potuisset,
„& quæ sane, si ab alienis profecta
„essent, a vobis potius opem & subsi-
„dium ad propulsandam injuriam ex-
„spectasset; id enim Dignitas Vestri
„Ordinis, & Patrum Exemplar, ac
„testatissimus hujus Sedis erga vos
„Amor jure deposceret: Nunquam
„certe nec Majores Vestri, qui vobis
„tot illustria ad tuendas Ecclesiæ ra-
„tiones, fortitudinis documenta reli-
„querunt, neque Prædecessores Nostri,
„qui strenuam illorum operam, insigni-
„bus titulis ornarunt, nec quisquam
„avitæ vestræ laudis studiosus suspi-
„cari potuisset, tam luctuosam aliquan-
„do futuram studiorum, animorumque
„conversionem, ut Lucernenses contra
„Ec-

„Ecclesiasticam Libertatem, & Sacro-
 „rum jura pugnarent, ut Sanctuario Sæc. XVIII.
 „Altissimi violentas manus inferrent, A. C. 1725.
 „ut Ministros Christi, & Dispensatores
 „Myfteriorum Dei ad Laicum judicium
 „trahere auderent, ut Parochialis Ec-
 „clesiæ Rectorem, Pastoremque anima-
 „rum e gregis custodia depellerent, &
 „quod est prorsus inauditum, eidem,
 „veluti per laicam Sententiam spiritali
 „Jurisdictione destituito, successorem
 „designandum edicerent.

„Hæc a vobis contra Dilectum Fi-
 „lium Christianum Leontium Ander-
 „matt Parochum Udlingenschweilen-
 „sem admissa, nobis quidem gravissima
 „acciderunt, illud tamen gravius fuit,
 „ac Divino Numini injuriosius, quod
 „cum plerosque ab indignis consiliis
 „abhorrentes videretis, Senatam ad
 „Jusjurandum adigeretis, nunquam se
 „a cæptis detestandis esse recessurum:
 „tanquam interposita Sacramenti Reli-
 „gio, perversitate Herodiana, ad Dei
 „honorem, Sacrosque Canones con-
 „culcandos, obfirmare deberet au-
 „daciã. „

Horror nimius invadit nos, & de-
 „fecerunt præ lacrymis oculi Nostri,
 „cum factorum indignitatem, scandala
 „Christi fidelium, dedecus istius Sena-
 „tus, & animarum vestrarum pericula

Sæc. XVIII. „reputaremus: dum autem in tanta tri-
 A. C. 1725. „bulatione ingemiscentes clamaremus
 „ad Dominum, redditæ sunt nobis li-
 „teræ vestræ, ex quibus salutaris resi-
 „piscentiæ testimonia, & paternæ con-
 „solationis argumenta præstolabamur,
 „sed illæ ipsæ novam acerbitatem su-
 „per dolorem vulnerum nostrorum ad-
 „diderunt, nam dissimulata illatarum
 „injuriarum temeritate amarulentas
 „tantum conquæstiones, a vestra gra-
 „vitate prorsus alienas, collatas vidi-
 „mus in Nostrum, atque hujus Sacræ
 „Sedis Nuntium Venerabilem Fratrem
 „Dominicum Archiepiscopum Ephesi-
 „num, qui non privatis studiis, & of-
 „fensionibus, a quibus longe abest, sed
 „de jussu nostro de Civitate illa disces-
 „sit, Tribunal Ministerii sui Altor-
 „fium transtulit, & quidquid gessit,
 „mandatis Nostris sedulo, fideliter-
 „que obtemperavit; non enim par esse
 „censuimus, ut, ubi tam licenter Ec-
 „clesiæ dignitas violatur, Apostolicus
 „Nuntius interesset, ac potius curan-
 „dum duximus, ut hæc sancta Sedes
 „a præposteris conatibus, & ausis, a
 „quibus animos vestros avocare non
 „potuit, oculos saltem suos avertere
 „videretur, quod vobis quidem incita-
 „mento futurum speravimus, ut Officii
 „memores, & errata emendantes lau-
 „datif-

„datissima potius observantiæ Docu- Sæc. XVIII.
 „menta lectemini, quam prava, & vi- A. C. 1725.
 „tanda, quæ cum imitari dedecet,
 „multo magis dedecet, in erroris præ-
 „sidium advocare. „

„Eos igitur, qui inter vos talia sen-
 „tire, ac suadere non erubuerunt, di-
 „gna emendatione ad sana Consilia re-
 „vocate, asperam famæ vestræ labem
 „abstergite, tentata, ac suscepta contra
 „Canonicam Disciplinam acta rescindi-
 „te, animamque Nostram ab ulteriori-
 „bus adhibendi remedii curis, & mo-
 „lestiis eximite, ac vobis, Dilecti Filii,
 „ea Charitate, quam in his maxime
 „paternis gemitibus perspicere debetis,
 „Apostolicam Benedictionem imperti-
 „mur. „

§. X.

*Lucernensis Senatus responsum ad
 Papæ literas.*

Hæ Pontificis literæ Lucernensis Se-
 natus expectationi votisque mini-
 me consonabant, quocirca die vigesi-
 ma quinta Januarii hæc reposuere:

Beatissime Pater!

„Paterna Sanctitatis vestræ viscera
 „acerbissimo dolore affecta fuisse ad re-
 „lationem, quod nos Sanctuario Al-
 D 3 tissimi

Sæc. XVIII. „tissimi violentas manus intulerimus,
 A. C. 1725. „Ministros Christi ad laicum traxeri-
 „mus iudicium, Parochum de gregis
 „custodia depulerimus, eidemque suc-
 „cessorem indixerimus designandum, ex
 „gratiosissimis Sanctitatis Vestræ sub
 „tertia currentis perspeximus non mi-
 „nori certe animorum Nostrorum affli-
 „ctione, & quidem ex duplici Capite:
 „nam & amantissimo Patri eadem do-
 „loris vehementia non compati, & nos
 „tam sinistre delatos sine summa cor-
 „dium emotione audire non potui-
 „mus, eo præsertim tempore, quo Pa-
 „trum exempla, quo avitam laudem
 „præ oculis habentes reverentiam no-
 „stram statui Ecclesiastico, & imprimis
 „Sanctitati Vestræ perspectiorem red-
 „dere studebamus; cum enim Parochum
 „Udlingenschwilensem jura nostra in-
 „fringentem, & usurpantem ad Præfecti
 „Nostræ admonitiones surdum, & ob-
 „stinatum, seditiosa insuper ad Paro-
 „chianos in ipso Dei Templo verba dis-
 „seminantem, condigna pœna non af-
 „flixerimus, prout Majores Nostræ con-
 „tinuo in usu habuerunt. Defensio de-
 „bita jurium Nostrorum exigit, Docto-
 „rum placita hoc in casu nobis jus ad-
 „dicunt, & quivis Principum sæcula-
 „rium non hæsitanter fecisset, Patrum
 „Nostrorum pietatem longe super gres-
 „sos

„fos esse credimus. Accusamur ad
 „Laicum iudicium traxisse nos dictum Sæc. XVIII.
 „Parochum, quem tamen ut ex super- A. C. 1725.
 „abundanti, Commissarius coram no-
 „bis sistat, petiimus, errores suos tam
 „graviter culpabili demonstraturi, &
 „ad melius in posterum adhortaturi,
 „quod Nos, & Antecessores Nostri,
 „quoties dabatur casus, non solum
 „cum omnibus Ecclesiasticis, sed cum
 „ipso etiam Commissario Episcopali fa-
 „cere semper consuevimus; sed hoc in
 „casu, quo motu non certo scimus,
 „Commissarius prædictus, quod per-
 „sonaliter sæpius ipse præstitit, tergi-
 „versatus est. Unde ne jura Nostra
 „collabarentur, ne seditionis venenum
 „latius serperet, ne perniciosum exem-
 „plum in re tametsi parva inquietorum
 „animos ad majora extolleret, Paro-
 „chum ipsi vocavimus, non judiciali-
 „ter, nec per apparitores citationes de-
 „ferre solitos, sed per Cancellariæ No-
 „stræ inservientem. Cum autem ve-
 „nire renuisset, obstinato ejectionem e-
 „ditione nostra indicentes, iterato vo-
 „cavimus, & insuper pervicacem, &
 „induratum terris nostris lexesse jussi-
 „mus.,

„Facile ex his Sanctitati Vestræ
 „patebit, nos Parochum, nec ad iudi-
 „cium, nec ad tribunal Laicum traxif-

Sæc. XVIII. „se, & expulsionem ipsius non in poenam
 A. C. 1725. „infractorum & usurpatorum jurium
 „nostrorum, & verborum seditiosorum
 „irrogatam, sed nos tandem lento, &
 „maturo, non præcipiti consilio per-
 „pulsos, ac coactos fuisse, non tam
 „ad vindicandum nostrum vilipendium,
 „quam ad defendendam auctoritatem
 „nostram, executionem explosarum mi-
 „narum adhibere.

„Unde de Sanctitatis Vestræ summa,
 „& merito decantata justitia diffidere
 „non possumus sed potius filiali confi-
 „dentia sperare, expulsionem hanc in
 „crimen nobis non vertendam, & nec
 „nos, nec Catholicum Principem, seu
 „magnus, seu parvus sit, eo alligandos,
 „ut Ecclesiasticum non solum non con-
 „fidenter, sed manifeste, & obstinate
 „injuriosum, seditiosum, & verba Prin-
 „cipis audire respicientem in ditio-
 „ne debeamus tolerare. „

„Postquam hoc justissimo, ut cre-
 „dimus, modo dictus Parochus terras
 „nostras vitare jussus, & firmiter con-
 „clusum fuit, periculosum hunc sub-
 „ditis nostris non amplius ferre Pastro-
 „rem, quid nobis reliquum fuit, quam
 „sedulam dare operam, ut subditi no-
 „stri in Udlingenschwilen alium sibi pro
 „jure suo Parochum eligerent, hoc sub-
 „ditis pia mente, & optima intentione
 „in-

„indiximus, ne administratione Sa-
 „cramentorum & spiritualibus consola-
 „tionibus diutius carerent, quod bo-
 „num, ut credimus, opus an ad nos per-
 „tinuerit, Sanctitatis Vestrae haud gra-
 „vate subjiciemus iudicio. „

„Interim quod omnes nos, & qui-
 „vis nostrum prima, qua in Reipublicae
 „consilium recepti fuimus, die, iura
 „nostra pro virili servaturos juraveri-
 „mus, nullum Reipublicae nostrae no-
 „titiam habentem latet; hoc autem in
 „casu praesenti, & ad specialia haec
 „iura nostra conservanda juramentum
 „iteravimus, ut illius memores, quod
 „Deo promisimus, fideliter reddere-
 „mus. „

„Licet hic Beatissime Pater con-
 „jetturæ illius, quam sub nona Novem-
 „bris Sanctitati Vestrae transmisimus,
 „mentionem facere, quod scilicet aut
 „sistitiis ad sinistram partem detortis Pa-
 „ternus Sanctitatis Vestrae animus exul-
 „ceratus fuerit, cum Dominum Nuntium
 „hinc discedere juberet, nam quæ time-
 „bamus accidisse, in propatulo stant,
 „relatum enim Sanctitati Vestrae fuit,
 „nonnullos ex nobis ea, de quibus ac-
 „cusamur, perpetrasse, cum plerosque
 „ab his abhorrentes videremus, Sena-
 „tum ad jusjurandum adegisse, Paro-
 „chum ad laicum iudicium traxisse,

D 5

„Præ-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII. „Præfatum Dominum Nuntium a præ-
 A. C. 1725. „posteris ausis animos nostros avocare
 „non potuisse, laudabilia Prædecesso-
 „rum exempla sectari desuisse. Sed ex
 „prædictis, & iis, quæ sub 27. Decem-
 „bris Sanctitati Vestræ perscripsimus,
 „quæ genuina veritate nituntur, clare
 „colliget Sanctitatis Vestræ perspicax,
 „& ab alienis non obumbratum judi-
 „cium, quod ad laicum Judicium Pa-
 „rochum non traxerimus, quod Majo-
 „rum exempla imitati fuerimus, quod
 „Dominus Nuntius prædictus nec ver-
 „bulo nos ab actis revocaverit, & quod
 „multa alia a veritate abhorreant, quæ
 „contra nos ad confœderatos nostros
 „perscripta fuerunt, ut in præcitis
 „nostris ultimis Literis fusius Sancti-
 „tatem Vestram certiore reddidimus.
 „Afferimus præterea, omnes nos una-
 „nimi voce, vix uno aut altero ex-
 „ceptis, qui ab initio hæsitantes post-
 „modum communi calculo accesserunt,
 „jura nostra etiam hoc casu pro virili
 „servanda jurato edixisse. „

„Supereft, ut Sanctitatem Vestram,
 „omni, qua possumus, humilitate, &
 „enixe precemur, ut aperta aure, quam
 „apertam in primis nostris literis sup-
 „plicavimus, has nostras utcunque sim-
 „plices, veras tamen facti deductiones
 „excipiat, quibus Protestationem no-
 „stram

„stram apponimus, nos non solum ni-
 „hil unquam contra Libertatem Eccle-
 „siasticam in animo habuisse, nec ha-
 „bere, nec unquam habituros, sed
 „omni filiali Reverentia, observantia,
 „& fidelitate eam potius ad remissio-
 „nem usque spiritus defensuros, speran-
 „tes etiam nostra jura a Sanctitate
 „Vestra, & ejus Ministris pessum non
 „premenda, cujus pedes humillime
 „exosculantes, nos, nostraque demi-
 „sissime commendamus.„

Sæc. XVIII,
 A. C. 1725.

§. XI.

*Sacræ Congregationis Consultatio
 circa hanc causam.*

Cum ergo Pontifex probe perspiceret, *Consultata per*
 quod paternis suis monitis nihil a *le S. di*
 pud Lucernenses proficeret, totum hoc *N. Sign.*
 negotium quatuor Cardinalibus exami- *secondo la*
 nandum commisit. Hi ergo matura *Risolut.*
 desuper habita deliberatione die deci-
 ma tertia Martii hac de re ita pronun-
 tiarunt. „Sanctitas vestra Lucernen-
 „ses datis die tertia Januarii literis pa-
 „terne hortabatur, ut serio perpende-
 „rent errorem, quem per dicti Parochi
 „expulsionem contra jurisdictionem Ec-
 „clesiasticam cum tot enormibus cir-
 „cumstantiis perpetrarunt: Nos vero
 „eorum responsum ponderantes, una-
 „nimi

Sæc. XVIII. „nimi consensu censuimus, quod Lu-
 A. C. 1725. „cernensis Senatus jurisdictionem Ec-
 „clesiasticam violarit, proin quiscum-
 „que vel consilio, vel mandato aut opere
 „ad hanc expulsionem concurrerunt,
 „in pœnas a S. Canonibus & Constitu-
 „tionibus Ecclesiasticis contra Juris-
 „dictionis Ecclesiasticæ violatores sta-
 „tutas inciderint: Nostrum vero judi-
 „cium in eo fundatur, quod Senatores
 „in suis literis die vigesima quinta Ja-
 „nuarii ad Sanctitatis vestræ epistolam
 „datis commissum hoc facinus excusa-
 „turi supponant, quod *Parochum nec ad*
 „*judicium, nec ad tribunal laicum traxe-*
 „*rint*: His verbis innui videtur, quod
 „si probari posset, hunc Parochum tan-
 „quam reum, ut rationem redderet,
 „ab eis fuisse citatum, eo ipso tacite
 „fateantur, quod in hoc casu suæ ju-
 „risdictionis limites transgressi sint,
 „proin Ecclesiasticam violarint. Prima
 „hujus conclusi pars patet ex his eo-
 „rum verbis: *Accusamur ad Laicum Ju-*
 „*dicem traxisse nos dictum Parochum, quem*
 „*tamen, ut Commissarius Episcopalis coram*
 „*nobis sistat ex superabundanti reverentia*
 „*petimus, errores suos tam graviter cul-*
 „*pabili demonstraturi, & ad melius impo-*
 „*sterum hortaturi. . . . Parochum ipsi vo-*
 „*cavimus non judicialiter, nec per appari-*
 „*tores citationes deferre solitos, sed per Can-*
 „*cellaria*

Sæc. XVIII.
A.C. 1725.

cellaricæ nostræ inservientem: cum autem venire renuisset obstinato ejectionem a ditione nostra minitantes iterato vocavimus, & in super pervicacem & induratum terris nostris exire jussimus. . . . Nos Parochum nec ad judicium, nec ad Tribunal laicum traximus, & expulsionem illius non in pœnam infractorum & usurpatorum jurium nostrorum aut verborum seditiosorum irrogatam &c. Hæc autem verba non concordant cum facti veritate; quippe ex copia citationum (*), & exilii per Senatam Parocho intimati pœna contrarium manifesto elucet, prout unicuique legenti, secluso partium studio, patet; cum ergo Parochum, ut rationem redderet, judicialiter citarent, id combinari nequit cum his verbis: *Ecclesiasticum non traximus ad judicem laicum, proin non incurrimus pœnas statutas contra eos, qui ad laicum tribunal & forum trahunt Ecclesiasticos.*

„Nec Senatus suum errorem jure
„excusare potest per exempla, ex quibus probare intendit, quod in variis
„casibus ob multas rationes Clericos ad
„suum

(*) Accio comparisca avanti il Senato per render conto, die 7. Sept. 1725. lo citiamo di nuovo, e se il medesimo si dimostra inobediente, dovrà ritirarsi della nostra città • Dominio 17. Sept. & 19. Sept.

Sæc. XVIII. „suum tribunal citarit: nam 1. juxta
A. C. 1725. „commune axioma præsens culpa non
 „purgatur allegando præteritas cul-
 „pas. 2. quia Senatus non probat, ejus-
 „modi abusus fuisse commissos sciente
 „& consentiente sacra Sede. 3. Ex Gre-
 „gorii XIII. Brevi die 13. April. 1573.
 „ad sex Pagos Catholicos dato patet,
 „quod hic Lucernensem Senatum hor-
 „tatus sit, ut dum duos Sacerdotes
 „criminaliter judicare præsumperat,
 „de gravissimo suo peccato pœnitentiam
 „agat, hisce autem paternis monitis
 „Senatus obsecundans humillime pe-
 „tierit, ac obtinuerit absolutionem ab
 „excommunicatione ob præfatam caus-
 „sam incurfa, ut vero hanc eo facilius
 „impetraret, reliquorum Pagorum Ca-
 „tholicorum preces suis adjunxit: cum
 „autem hi in literis suis ad Papam quo-
 „dammodo Senatus Lucernensis de-
 „lictum excusare voluerint, prætenfa
 „antiqua sua in Clericos animadver-
 „tendi consuetudine, Pontifex constan-
 „ter & clare eis reposuerit, *nulla om-
 nino consuetudine quantumvis vetustissima,
 & ipsorum etiam Clericorum voluntate ro-
 borata, fieri posse, ut laici de Clericis judi-
 cent, idque e veteribus sapius decretum
 esse, perpetuoque retentum, & si Clerici
 peccabunt, a Judicibus Ecclesiasticis pu-
 nientur, si autem hi negligentiores esse*
 ani-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

animadvertentur, Papam certiore faciant, qui Episcopos ad suum officium exacte adimplendum compellet. 4. Quia non de-
 „sunt exempla contraria, & admodum
 „recentia, ex quibus elucet, reliquos
 „Pagos in Clericorum delictis etiam con-
 „tra Reipublicæ leges commissis ad le-
 „gitimos Superiores Ecclesiasticos re-
 „currisse, a quibus etiam promerita
 „pœna fuerunt castigati. Præterea
 „manifestum, & ab ipso Senatu agni-
 „tum est, quod jurisdictionem Ecclesia-
 „sticam etiam in hoc violarit, quia præ-
 „fatum Parochum saltem tacite sua Pa-
 „rochia spoliavit, dum sine hæsitatione
 „præcepit, ut Parochiani ad Succes-
 „soris electionem procederent, de hoc
 „autem facto nullum est dubium; ipse
 „enim Senatus illud fatetur in sua ad
 „Papam epistola his verbis: *postquam
 hoc justissimo, ut credimus, modo dictus
 Parochus terras nostras vitare jussus &
 firmiter conclusum fuit, periculosum hunc
 subditis nostris non amplius ferre Pa-
 storem, quid nobis reliquum fuit,
 quam sedulam dare operam, ut subditi
 nostri alium sibi pro jure suo Parochum
 eligerent?*

„Cum hæc attentata ad oculum
 „sint probata, & a Senatu non modo
 „tacite, sed & diserte asserta, contra
 „jurisdictionem Ecclesiasticam esse
 „com-

Sæc. XVIII. „commiffa, Sanctitas fua, quin fuo
 A. C. 1725 „fupremo Ministerio Pastoralis defit, c-
 „mittere nequit adhibere ea remedia,
 „quibus hæc iurisdictione redintegretur,
 „id vero aliter efficere non poterit, nifi
 „Parocho permittatur, ut ad fuam Ec-
 „clefiam redeat, quo facto, Epifcopus il-
 „lum puniat, fi conftat, ipfum deli-
 „quiffe: fi vero hæc exequi Senatus re-
 „cuferit, cenfet S. Congregatio, ut
 „Sanctitas ueftra opportune provideat,
 „quatenus vulnus Iurisdictioni Eccle-
 „fiafticæ inflictum per remedia a S. Ca-
 „nonibus & Apoftolicis Conftitutioni-
 „bus præfcripta fanetur.,

§. XII.

*Pontificis literæ ad feptem Pagos
Catholicos.*

Interim feptem Pagi Catholici,
 fcilicet Uranæ, Suitii, Subfil-
 vaniæ, Tugii, Friburgi, Soloduri,
 & Glaronæ die decima tertia Maij Con-
 ventum habuere, in quo deliberarunt,
 qua ratione fummo Pontifici Lucernen-
 fes (falvis tamen fuis iuribus) conci-
 liari poffent. Omnium fententia eo
 abibat, perdemiffas ad eundem dandas
 effe literas, in quibus omnium nomine
 rogaretur, ut conceptam in Lucer-
 nenes indignationem deponeret, fi-
 mulque

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

mulque eis, quæ inconsideratius egissent, condonaret, quod eo certius sperarent, quo firmiter sibi persuasum haberent, æquissimum Patrem & Judicem cum eis ita processurum, ut tamen nil antiquis illorum jurebus derogatum vellet. Postquam igitur Benedictus XIII. Papa horum supplices obtinuerat literas, die tertia Augusti hoc anno sequens ad eos dedit responsum.

*Dilecti Filii, Salutem & Apostolicam
Benedictionem.*

„Non obscurum filialis vestræ erga
„nos & hanc sanctam Sedem observan-
„tiæ, mutuæque inter vos charitatis
„perhibuerunt testimonium demissæ
„preces, quos pro dilectis filiis Sena-
„toribus pagi Lucernensis paternæ no-
„stræ benignitati observantissimas lite-
„ras obtulistis, utraque autem tam ob-
„servantia, quam Charitas ista spem
„nobis maximam facit, fore ut oppor-
„tuna officia apud eosdem Lucernenses
„Nobis amicitiae & Religionis fœdere
„conjunctos adhibeatis, quibus ad vio-
„lata Ecclesiæ jura rite & Canonice re-
„paranda læsamque Ecclesiasticam im-
„munitatem restituendam adducantur;
„satis enim perspicitis, dilecti filii,
„quas nobis partes injungat gravissimi-
Hist. Eccles. Tom. LXXII. E „mum

Sæc. XVIII. „mum Apostolicæ authoritatis Mini-
 A. C. 1725. „sterium, nec nobis æterno judici & Pa-
 „storum Principi rationem reddituris
 „integrum esse, prava & Sanctuarii
 „rationibus injuriosa exempla inulta re-
 „linquere, adhibendisque sacrorum
 „Canonum remediis supersedere. Vo-
 „bis itaque adhortantibus, suaque ipso-
 „rum virtute suadente Lucernenses fa-
 „cile intellecturos confidimus, tuendis
 „juribus suis, atque ad posteros tradu-
 „cendis, rei que Catholicæ apud vos
 „muniendæ, melius ac felicius prospici
 „non posse quam Ecclesiæ juribus ob-
 „servandis, divinoque præsidio per Ca-
 „nonicæ disciplinæ cultum, rerum sa-
 „crarum reverentia conciliando. Cæ-
 „terum ubi debita satisfactione, quæ
 „perperam commissa sunt, ipsi emen-
 „daverint, nullum a nobis deerit Ar-
 „gumentum, præcipue illius & pro-
 „fus paternæ charitatis, qua Votis ve-
 „stris obsecundare, & pristinam Lucer-
 „nensibus benignitatem luculentius ad-
 „huc testatam facere optamus, ac Vo-
 „bis, dilecti filii Apostolicam benedi-
 „ctionem peramanter impertimur. „

§. XIII.

Hujus controversiæ exitus.

Lucer.

Lucernenses equidem ad interminatas anathematis pœnas parum contremiscere videbantur; quippe ad hunc eventum parati consuetum Senatus juramentum de tuendis suis juribus etiam cum bonorum & vitæ jactura, & solemnia comprecationis formulam præscribebant: ceteri vero Cantones Catholici communi nomine ad Papam scripsere, supplices ut hæc controversia tandem amica compositione finiretur: Eo fine ad diem decimam tertiam Maij comitia indicunt; Conveniunt octo Pagorum Oratores numero quatuordecim. Seliguntur ex Lucernensibus sex præcipui Senatores: Deliberationis caput erat, qua via dissidentes componi, & simul Episcopalis jurisdictio in tuto collocari, pariterque liberæ Reipublicæ jura salvari possent: Contendebant Lucernenses, præcipuam suæ jurisdictionis partem esse, ut Clericos delinquentes citare, & punire valeant; ceterorum vero Pagorum Oratores hoc jus restringebant, 1. ad solam citationem, non tamen juridicam, sed Principi territoriali competentem ac duntaxat in crimine perduellionis, 2. ad bannisationem in casu, quo Principis auctoritas graviter læditur: Diu multumque hanc in rem ultro citroque disputatum, tandem die decima octava Maij conclusum, in præ-

Sæc. XVIII.

A. 1725.

Vit. Card.
tom. 3. vit.
Card. Paf-
sion. p. 354.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725. *fatis terminis & casibus* cuilibet Catho-
lico Statui Clericos citandi & relegandi
jus competere: & tamen huma-
nissime ad Papam esse perscribendum,
ipsumque facinus partim excusandum,
partim submisse deprecandum. Igitur
die 20. Decembris Lucernenses ad Be-
nedictum XIII. literas expediunt, in
quibus significant, Parochum non a
Senatu, sed ab incautis Cancellariæ
Ministris fuisse citatum, seque manda-
tum de eligendo novo Parocho revo-
casse. His expositis precabantur, ut
vicissim Pontifex Lucernensibus indul-
geat, & Parochus Leontius Ander-
matt neque ad Parochiam Udlingen-
schwilensem, nec ad Lucernense ter-
ritorium admittatur, novus etiam Pa-
rochus eligatur a Constantiensi Epif. opo,
qui Presbyteri Mülleri nominationem
a Populo factam declararet nullam, ita
tamen, ut is hac sola vice, a nomi-
natione excludatur. Hisce pactis utrin-
que acceptatis hæc controversia feliciter
composita est, & Andermattus olim
Parochus Constantiam secessit, ubi in
Collegiata Ecclesia ad S. Joannem Ca-
nonicatu potiebatur. Pontifex vero ad
Lucernensem Senatum has literas pa-
terna charitate plenas die 25. Jan. 1727.
dedit:

Dilecti

*Dilecti Filii, salutem & Apostolicam
Benedictionem.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„Quod de eximia vestra in nos &
„hanc sanctam Sedem observantia nobis
„pollicebamur, ut nostram videlicet
„pro vindicanda Ecclesiastica immuni-
„tate sollicitudinem religio & pietas
„vestra leniret, paternique animi dolo-
„rem filialis Lucernensium obedientia
„prorsus abstergeret, opportune repræ-
„sentarunt literæ vestræ die 20. Mensis
„Decembris Anni 1726. proxime elapsi
„ad nos datæ, atque a dilecto filio Co-
„mite de Julianis nobis redditæ, quas
„zeli vestri pro Ecclesiastica libertate
„tuenda testimoniis insignes, & reve-
„rentiæ significationibus refertas, stu-
„diosissime complexi sumus. „

„Ingenti enim cum animi voluptate
„intelleximus, Parochum Ecclesiæ Ud-
„lingenschwilensis Leontium Andermatt
„non vestro jussu, sed inconsiderate ab
„incautis vestræ Cancellariæ Ministris
„fuisse ad curiam judicialiter accersi-
„tum: mandatum præterea, quo com-
„munitati Udlingenschwilensi indixera-
„tis, ut novum parochialis ejus Eccle-
„siæ Rectorem eligerent, vos revocasse;
„adituros venerabilem Fratrem Episco-
„pum Constantiensem, ut, quæ ante
E 3 „dictus

Sæc XVIII., d ctus Leontius perperam gessit, in
A. C. 1725. „acta referat, & cognoscat, suoque
 „jure irritam nullamque declaret nomi-
 „nationem, a communitate factam
 „Presbyteri de Müller, eumque hac
 „sola vice a nominatione excludat.
 „His profecto dilecti filii Sapientiae,
 „& obsequii luculentissimis argumentis
 „tan a consolatione repleti sumus, tan-
 „toque superabundavimus gaudio, ut
 „nihil nobis ad uberem plenamque læ-
 „titiã deesse videatur, quam ut oc-
 „casiones nanciscamur, re ipsa vobis
 „declarandæ, præclaræ, studiosæ, pa-
 „ternæque voluntatis. Dum autem
 „merito gratulamur confirmatas & au-
 „ctas vestra virtute Lucernensis nomi-
 „nis laudes, quibus Ecclesiasticæ vos
 „libertatis defensores prædicat hæc
 „sancta Sedes, vobis, dilecti filii pignus
 „præcipue charitatis & Apostolicam
 „Benedictionem peramanter imperti-
 „mur. „

Ceterum non pauca hanc in rem
 ultro citroque scripta fuere edita, &
 inter illa præcipue *Lucerna lucens Aletho-
 philii Catholici Sacerdotis ad Arethophilum
 amicum suum.* Ibi allegatur apographum
 epistolæ, quam Antonius Leodegarius
 Kellerus ad Martinum Filium suum die
 6. Martii 1726. Lucernæ scripsisse, ei-
 que tres quæstiones notatu dignas pro-
 posuisse

posuisse legitur: Hoc scriptum ad majorem hujus controversiæ dilucidationem hic subjungendum duxi. Sic autem habet:

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„Accepi literas tuas, quas quinta
 „elapsi ad me dedisti, & magna animi
 „voluptate te valere perspexi, incom-
 „parabiliter autem majore, te, cum
 „arma tractare, & in iis summam, quam
 „potes peritiam acquirere tuæ vocatio-
 „nis, & officii sit, libros tamen & stu-
 „dia non dimittere. Quæ super diffe-
 „rentia nata ob bannisationem Parochi
 „Udlingenschwilensis de Gallicorum
 „Authorum Sententiis, & Gallicana
 „consuetudine perscribis, si tamen ex
 „horto est flosculus ille tuo, mihi per-
 „suadent, quod tempus non inutiliter
 „consumas, sed obedienter eo impen-
 „das, quo te iussa, monita, preces
 „meæ sæpius impulerunt. Age, perge
 „certus, te fructum inde maximum
 „non ad mundanam tantummodo glo-
 „riam, sed ad animæ etiam Salutem
 „percepturum. Nollem tamen jus,
 „seu Civile seu Canonicum, primarium
 „fore tuum studium, sed Historiam,
 „quæ quondam tibi aut Militi, aut
 „Civi utilior erit: hanc lege, omnia
 „antiqua, omnia recentiora evolve vo-
 „lumina, verum, ut præmonui, sem-
 „per cum stylo ad manus, ut nihil no-

Sæc. XVIII
 A C 1725
 „tatu dignum effugiat, & tempus in-
 „utiliter non teras: Labilis est enim
 „memoria, nec ei fidendum: felicissi-
 „mam & ego habui, quam nunc no-
 „vercam experior, & nescio, an tem-
 „pus deperditum, an illud in lectione
 „sine notis infumptum justiores mihi
 „lacrimas eliciat.„

„Interim cum de jure nostræ Rei-
 „publicæ prædictam hannifationem re-
 „spiciente tractaveris, laudo assum-
 „ptum, & bonæ indolis bonum usum
 „summpere collaudo: Homerianum
 „illud, quod Xylander latine sic reddi-
 „dit: Unicum id Augurium est, pa-
 „triã defendere, verum: præclare
 „observas, & in quantum dant vires
 „adimpleres: sed fortioribus contra tan-
 „tum Aggressorem indigemus armis,
 „imo ipsius Aggressoris armis pugnan-
 „dum est: Canones ipsi, quos infre-
 „gisse accusamur, justitiæ nostræ testes
 „adducendi: hæc autem provincia do-
 „ctioribus demandabitur. Ego in tui
 „gratiam & instructionem breviter ali-
 „qua dicam, ut in similibus casibus de-
 „fensiva humeris tuis arma adaptare
 „scias, eodem tempore quæ, qualis,
 „& quanta sit lis non ignores, convin-
 „cunt enim me tuæ literæ, famam tibi
 „fideliter non omnia retulisse.„

„Inci-

„Incipiam a narratione Casus, quem
 „Processus, hunc juris Quæstiones ex-
 „cipient, solutiones finem imponent.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Casus.

„Præfectus Habsburgensis in vico Ud-
 „lingenschwil choreas ducendi licen-
 „tiam dedit pro die 12. Augusti festa
 „Dedicationis illius Ecclesiæ Parochia-
 „lis, & pro die 16. ejusdem. Cum
 „Rustici hac permissione sine prævia sa-
 „lutatione Parochi dicta die duodeci-
 „ma usi essent, Parochus decima quinta
 „ejusdem choreas sequenti die ducere
 „prohibuit. Caupo, qui nomine om-
 „nium obtinuerat licentiam, graviter
 „ferens, speratum sibi tolli lucrum, Pa-
 „rochum adit rogans, vellet a prohi-
 „bitione desistere, & obtentam licen-
 „tiam prætendens, Parochus autem non
 „exorato, rem Præfecto detulit, ex
 „cujus jussu Parochum iterum de Præ-
 „fecti licentia certiore fecit, quo au-
 „tem, jam ob alia Cauponi non bene-
 „volo in sententia perdurante, Præ-
 „fectum de frustranea Parochi conven-
 „tione informavit, qui proprio chiro-
 „grapho de incompetencia suæ prohi-
 „bitionis, & ni desisteret de publicanda
 „sua licentia præmonuit: Parochus au-
 „tem in sententia perstitit, unde Syn-
 „dicus in scriptis datam a Præfecto Li-

Sæc. XVIII. „centiam. divinis peractis officiis, pu-
 A. C. 1725. „blice perlegit, qua rustici eadem die
 „16. iterum usi sunt, inspiciente a lon-
 „ge. & choreas ducentes notante Pa-
 „rocho, qui sequenti die Dominica
 „19. Mensis ejusdem assumpto currenti
 „Evangelio, eoque bis lecto transgres-
 „siones iuxta prohibitionis animose re-
 „darguit. & ad confitendam hanc in-
 „obedientiam, & reportandam de facta
 „confessione attestationem condemna-
 „vit, illud: *Ostende te Sacerdoti vehemen-
 „ter intonans, finitisque divinis officiis
 „sub aspersione aquæ lustralis in medio
 „Ecclesiæ clamavit; eat nunc iterum
 „quis in Civitatem de me mendacia relaturus,
 „superioritatis jura non tetigi, ad me perti-
 „net choreas ducendi Licentiam concedere,
 „aut negare. Cumque aliqui attestatio-
 „nem impositæ Confessionis post aliquot
 „dies scilicet 26. Augusti non attulif-
 „sent, publice in Ecclesia coram po-
 „pulo diem insequentem pro ultimo ter-
 „mino constituit, quo attestationem
 „illam attulisse debeant, quod si non
 „exequantur, a sanctis Ecclesiæ Sacra-
 „mentis arcendos statuit.,*

Processus.

„Jurati illius Communitatis hæc
 „omnia, prout debebant, ad Præfectum
 „de-

„detulerunt, qui testes itidem juratos
 „audivit, & sub oculos Senatus om- Sæc. XVIII.
 „nia posuit. Hic Præfecti circumspe- A. C. 1725.
 „ctione non contentus, Prætori com-
 „misit, ut ipsum Parochum in præsen-
 „tia Præfecti audiret, qui 29. Augusti
 „omnia prædicta confessus est, exce-
 „ptis, quæ sub aspersione aquæ lustra-
 „lis effutiisse dicebatur, quæ tamen ju-
 „ratis testibus fuere probata. Hinc
 „Senatus Parocho incompetentiam suæ
 „actionis remonstraturus, & ad melius
 „imposterum adhortaturus, compari-
 „tionem coram se a Commissario Epi-
 „scopali ex superabundanti reverentia
 „postulavit, sed non obtinuit, unde
 „Parochum ipse citavit, quo non com-
 „parente citationem cum commina-
 „tione exilii iteravit, & tandem per-
 „duratum in sua renitentia suis terris
 „exesse jussit. Postquam Parochus di-
 „tione nostram dereliquit, sollicitus
 „Senatus de subditis suis Udlingen-
 „schwilensibus PP. Capucinis pro inte-
 „rim eorum curam commisit, qui &
 „eam cum auctoritate & licentia Com-
 „missarii Episcopalis susceperunt. Sub
 „quinta Octobris Senatus Acta hucus-
 „que irrevocabiliter servanda, & Pa-
 „rochum bannitum in ditioe sua am-
 „plius non tolerandum pro fixo habens,
 „dictos Udlingenschweilenses pro jure
 „suo

Sæc. XVIII. „suo alium sibi Parochum jussit eligere,
 A. C. 1725 „qui mandato parentes 14. ejusdem a-
 „lium Episcopo, seu ejus Commissario
 „præsentandum nominavere, quem ta-
 „men dictus Commissarius nec ad Cu-
 „ram, nec ad Examen voluit admit-
 „tere, unde ad haec usque diem PP.
 „Capucini dictam Curam administrant.,
 „Antequam ad promissas quæstio-
 „nes deveniam, aliqua tibi prænotare
 „necesse habeo. *Primo.* Quod etiamsi
 „in præmissa narratione Senatum so-
 „lummodo nominaverim, a citatione
 „tamen Parochi cum comminatione
 „exilii inclusive non Senatum solum,
 „sed summam Reipublicæ nostræ Pote-
 „statem, nempe Prætores, Senatum
 „& Centum Viros omnia peregrisse, ni-
 „hilque sine hac actum vel scriptum
 „fuisse. *Secundo.* Parochum ad ambas
 „citationes literis respondisse, & factam
 „sibi a iudice Ecclesiastico sub poena
 „interdicti prohibitionem comparendi
 „prætendisse. *Tertio.* Hanc compari-
 „tionem Ecclesiasticorum coram Sena-
 „tu, quam nos, & antecessores nostri
 „semper habuimus, ab Episcopo pau-
 „cis ab annis tantum nobis disputatam
 „fuisse, & cum D. Nuntius Pontificis
 „alieni in nos animi ob plura, quæ con-
 „tra nos egit, crederetur, facile sibi
 „quisque persuasum habebat, ex con-
 „spi-

„spirato nobis hanc litem motam: Sæc XVIII.
 „nemo enim sanus imaginari sibi po- A. C. 1725.
 „tuit, Parochum illum, qui per octo
 „circiter annos studia sua Lucernæ
 „prosecutus est, Adjutor etiam per
 „aliquot annos Parochi Lucernensis
 „fuit, consequenter frequentius, ne di-
 „cam singulis annis Mandata nostra
 „de choreis, si injuria temporum, aut
 „alia ratio talia exigebant, vidit, &
 „audivit, sibi jus de danda aut negan-
 „da de illis Licentia ex seipso præsu-
 „mere potuisse, & de hoc actu futuro
 „ante paucas hebdomadas, alios iti-
 „dem Parochos animans, gloriaturum
 „fuisse. Accedebat, quod prædictam
 „prohibitionem comparendi Commis-
 „sarius Episcopalis a se emanatam ne-
 „gavit, quæ ab Episcopo ob brevita-
 „tem temporis Constantia venisse non
 „potuit. Ob varias autem hinc inde
 „consuetudines Quæstio proponenda,
 „& solvenda, quam, cum reliquas tibi
 „antea promitterem, in mente non
 „habui, & sit hæc *Quæstio* unica ex
 „recitato Casu oriens. An Magistratui,
 „aut Parocho competat choreas du-
 „cendi licentiam dare & negare? „

Solutio. Ex natura rei, & ex con-
 „suetudine competit hoc jus potestati
 „Laicæ, quod longa dissertatione aut
 „probatione non indiget, sufficiat Epi-
 „scopum

Sæc. XVIII. „scopum cum Clero Constantienti, in
A. C. 1725. „cujus Diæcesi sumus, hoc clare re-
 „cognovisse in Constitutionibus & De-
 „cretis Synodi Diæcesanæ Part. prim.
 „tit. 23. cap. 7. cujus hæc sunt verba:
Diebus Dominicis & festivis curent Pa-
rochi, agantque cum Magistratu, ut lu-
diera, & sæcularia spectacula, choreas
& saltationes tempore Divinorum Offi-
ciorum, Concionum, Catechesis & Ve-
sperarum non permittantur. Nunc sto
 „promissis. Tres ex processu enarrato
 „ortæ sunt Quæstiones, quæ inter nos
 „& Episcopum, & Nuntium, seu sum-
 „mum Pontificem, in disceptationem
 „vocantur Scilicet.

Quæstio Prima.

„An potestas Laica possit Ecclesia-
 „sticum ad comparandum coram se vo-
 „care, & teneatur talis vocatus com-
 „parere, & Verbum Principis reveren-
 „ter audire?

Quæstio Secunda.

„An potestas Laica Ecclesiasticum
 „contemnentem Principis vocationem,
 „aut jura Principis quovis alio modo
 „infringentem & usurpantem, seu se-
 „ditiosum, & diffidatum possit e ditio-
 „sua ejicere & bannire? Quæ-

*Quæstio Tertia.*Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„An per bannifationem talis Eccle-
 „siastici Canonatus, Cura aut aliud
 „Beneficium, quod in ditione offensi
 „Principis bannitus habebat, possit dici
 „vacans, adeo ut Collator alium in
 „banniti locum eligere, aut Princeps
 „talem electionem Collatori injungere
 „possit?

„Jam iterum intentam seriem inter-
 „rumpere, & aliam quæstionem præ-
 „mittere cogor. Cum prænotatæ tres
 „quæstiones circa immunitatem Eccle-
 „siasticam versentur, de hac ante om-
 „nia loquendum erit in

Quæstione prævia.

„An Immunitas Ecclesiastica sit de
 „jure Divino vel Humano?

Solutio quæstionis præviæ.

„Julius Clarus Sententiarum lib. 5.
 „quæst. 36. Superficialiter hanc Quæ-
 „stionem tractat, contentus dixisse,
 „quod hæc Immunitas sit a jure Di-
 „vino, & citat aliquos asserentes, hanc
 „esse communem opinionem, subdens
 „tamen, hanc conclusionem in puncto
 „juris sine difficultate non transire.”

„Me-

Sæc. XVII.

A. C. 1725.

„Menochius de Jurisdic. Imp. &
 „Potest. Ecclesiast. & Secul. Lib. 1.
 „c. 15. fusius hanc Quæstionem tractat,
 „& p^o parte affirmante, esse tantum
 „de ^o humano 13. allegat gravissi-
 „mos, ut ipse dicit, S Theologiæ ju-
 „ris Pontificii & Cæsarei interpretes;
 „pro parte autem asserente esse de jure
 „Divino 26. citat Auctores, & candide
 „fatetur, Pontifices, qui huic Senten-
 „tiæ assertionibus suis fundamentum
 „dederunt, nullis verbis ostendisse, qua
 „in lege vel antiqua vel nova hæc im-
 „munitas legatur. Quibus rationibus
 „hæ opinioniones suffulcianur, & confu-
 „tentur, ibi est videre, illas enim ex-
 „scribere non est animus. „

„Dico ego: Immunitas Ecclesia-
 „stica non solum est de jure Humano,
 „sed de lege Principum sæcularium,
 „quod probo per assertiones duorum
 „summorum Pontificum. S. Gelasius
 „Crispino & Sabino Episcopis duos
 „Clericos commendans, qui ad forum
 „Laicum trahebantur, actores in foro
 „Ecclesiastico agere debere edicit: Ut
 „Ecclesiæ jura, quæ vetusti Principes
 „assidua sanctione firmaverunt, impe-
 „ditis Clericis non negentur. Can. Syl-
 „vester. XI. q. 1. S. Pelagius ad Ser-
 „gium Cancellarium scribit, Clericum
 „petitorem, omnibus modis non alibi
 „quam

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

„quam apud Provinciæ judicem actio-
 „nes suas contra Laicos dirigere de-
 „bere, hos autem suas contra Cleri-
 „cos apud Episcopum, & dicit: *Quem
 ordinem legibus per omnia convenientem,
 atque consentaneum demonstrari illa regula
 manifestat, quæ præcipit auctorem forum
 semper sequi pulsati: Clericis vero pulsatis
 in Episcopali judicio forum competere Prin-
 cipalium quoque Sanctionum designat aucto-
 ritas. C. Si quisquam loco citato. Quam-
 „vis autem de civilibus tantum hi ca-
 „nones, non criminalibus, loquantur
 „actionibus, eadem tamen est ratio.
 „Etenim jus divinum est, quod in lege con-
 tinetur & Evangelio, atque immutabile sem-
 per permanet. Instit. Jur. Can. Tit. 2.
 C. jus Divinum. In lege & Evangelio
 „de Immunitate nihil legitur, ut supra
 „ex Menochio annotavi, & qui textus
 „ad probandum, quod sit de jure Di-
 „vino, dentibus trahuntur, & vage
 „ad hunc finem interpretati sunt, in
 „eodem Auctore Lib. & cap. citatis
 „clare refelluntur. Si tandem immu-
 „nitas esset de jure Divino, secundum
 „prædictam definitionem, deberet esse
 „immutabilis, nec valere in aliquibus
 „casibus, in aliis non valere, & hæc
 „distinctio casuum, quam Canonistæ,
 „juristæ, Theologi, admittunt, etiam
 „de jure Divino instituta dici deberet.
 Hist. Eccles. Tom. LXXII. F. „cum*

Sæc. XVIII. „cum tamen nec Syllaba de hac inve-
 A. C. 1725 „niatur. Datur & distinctio locorum
 „& Regnorum, cum in uno summa,
 in alio restrictissima sit Immunitas,
 „nec facile dicetur, diversis Regnis di-
 „versa data esse Evangelia, Unde etiam
 „eo quod hoc jus Immunitatis non est
 „immutabile, non potest dici divinum.
 „Alterum ad promissa revertar. „

Solutio Quæstionis primæ.

„Potestas Laica Lucernensis, potest
 „Ecclesiasticos quoscunque suæ Dio-
 „nis coram se citare, qui & comparere
 „tenentur, & verbum Principis reve-
 „renter audire. „

„Probo: A Quatercentis annis Se-
 „natus Lucernensis, quoties dabatur
 „casus, quorum plures quam centum
 „probari possunt, Ecclesiasticos sem-
 „per citavit, præsentem, & non recla-
 „mante Episcopo, seu ejus Vicario,
 „qui hic Commissarius dicitur, vidente
 „& non reclamante Nuntio Apostolico,
 „qui ordinarie Lucernæ residet, obe-
 „diente, & comparante Ecclesiastico
 „citato. Unde consuetudo hæc ab im-
 „memoriali tempore Lex nobis immu-
 „tabilis est, quam ipsi Canones appro-
 „bant, scit enim sancta Romana Ecclesia,
 „quia nihil obsint Saluti credentium diversæ
 pro

pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ potest, uni Deo commendat omnes. Epist. I. Leonis IX. & diuturni mores consensu utentium approbati legem imitantur. Cap. diuturni. Distinct. 12. Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est. Cap. illa autem. Quemadmodum illicita perpetrari non patimur, sic quæ sunt consuetudinis, non negamus. Cap. quemadmodum ibidem. Et si exemplum desideratur, Canonicum in promptu est, Bellisarius mandavit Sylverium Pontificem Maximum ad se in Palatium Principis venire, qui obedienter comparuit. Can. Guilisarius 23. q. 4. Verum, equidem est, quod postmodum dictus Pontifex Bellisarium Anathemate percussit, sed non ideo, quod mandaverit, ad se venire, sed quod deceperit, cum enim venisset, eum detinuit, & in exilium misit, ut clare dictus canon enarrat. Accedit, quod habeamus hanc consuetudinem, cum præensione Privilegii antiquissimi, de qua mox

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Solutio Quæstionis secundæ.

Senatui Lucernensi competit ban-
 nire Ecclesiasticum contemnentem ci-
 tatione

F 2

tatio-

Sæc. XVIII. „tationem, aut sua jura quovis modo
A. C. 1725. „infringentem aut usurpantem, aut
 „seditiosum, aut diffidatum.

Probo. Primo per omnia, quæ su-
 „pra de consuetudine cum prætensione
 „privilegii dicta sunt, quæ etiam in
 „hoc casu Bannitionis, & aliarum
 „punctionum per plurimos actus, per
 „longissimam temporum seriem præ-
 „sentibus & non reclamantibus iisdem
 „qui supra, probare parati sumus.

Secundo. Quodsi nos aut hac, aut
 „alia mitiore pœna refractarios, fedi-
 „tiosos &c. non coerceremus, crimini-
 „bus his impunitis, quæ tamen im-
 „punita remanere non debent, brevi
 „ex pastoribus lupi fierent, cum spretis
 „sacris canonibus pœnæ condignæ a
 „judicibus Ecclesiasticis non infligan-
 „tur, scriptum est enim: *Quisquis Im-*
peratorem aut Magistratum contumelia af-
fecerit, supplicium luito, & quidem si Cle-
ricus sit, deponitor, si Laicus &c. Can.
Apost. 83. Iterum legitur: *Si quis Lai-*
cus juramentum violando profanat, quod
Regi & Domino suo jurat, & postea per-
verse & dolose ejus regnum tractaverit, &
in mortem ipsius aliquo machinamento inse-
diatur, quia Sacrilegium peragit, in Chri-
stum Domini manum mittens Anathema sit
&c. Episcopus vero, Presbyter, Diaconus,
si hoc crimen commiserit, degradetur.

si qui. 22. q. 5. An Parochus Udlin-
 „genschweilensis perverse & dolose Sæc. XVIII.
 „Regnum Principis tractaverit, an Ma- A. C. 1725.
 „gistratum contumelia affecerit, patet
 „ex narratis: an ejus judex eum pu-
 „niverit, patet ex literis commissarii
 „Episcopalis responsivis ad postulationem
 „citationis, in quibus Parochum
 „defendit, & actum ejus collaudat.
 „De aliis criminibus nihil ex reverentia
 „dico, nisi quod interest Reipublicæ,
 „ut severe cohibeantur Ecclesiastici,
 „nam sæculares sibi licere putant, quæ-
 „cunque in Ecclesiasticis leviter aut
 „omnino non castigantur, cum & sacri
 „Canones eadem delicta in Clericis se-
 „verius quam in Laicis edicant pu-
 „nienda.,,

Tertio. Quod jura nostra contra in-
 „fringentes tueri, & defendere tenea-
 „mur & infringentes punire possimus,
 „ut docet Menochius Tract. cit. Lib. 2.
 „cap. 20. casu 12. Ubi & Canones &
 „Auctores citat, & Julius Clarus Lib. 4.
 „q. 36. n. 24. dicit, quod, si Clericus
 „esset, & turbaret publicam quietem,
 „soleat Senatus Mediolanensis (qui
 „forte nec privilegium, quod præten-
 „dimus, habet) eum ab illa Civitate
 „vel loco, quem perturbat, ad tempus
 „ejicere, prout cum quodam Archi-
 „presbytero factum asserit. Eo autem
 F 3 „vigi-

Sæc. XVIII. „vigilantius jura nostra tueri nos de-
 A. C. 1725. „bemus, quod inter Respublicas finus,
 „quarum juribus invidetur, nobisque
 „a nemine magis timendum fit, quam
 „ab Ecclesiasticis, qui non Helvetico,
 „sed Alemanico Ordinario subsunt, ad
 „cujus nutum Reipublicæ subditos,
 „nimium religiosos, ne dicam super-
 „stitiosos pervertere, & Seditiones
 „quandolibet movere possent. „

Quarto. Cum Immunitas ex gratia,
 „& Lege Principum emanat, inju-
 „stum esset, contra ipsum Principem
 „illa abutentes Principem punire non
 „posse, qui sic de bono opere lapida-
 „retur, cui indignitati jus ipsum Ca-
 „nonicum providit, sanciens. *Quod ob*
gratiam alicui conceditur, non est in ejus
dispendium retorquendum, cap. 61. de Reg.
Jur. in 6. Et si gratia sine alterius
 „injuria concedenda, quanto magis sine
 „injuria gratiam facientis. „

Quinto. Hoc tandem illud nostrum
 „jus est, per cuius usum Divina gratia
 „adjuvante hac lite irretiri potuimus;
 „nam, si aut de jure Naturali, aut ex
 „Privilegio uti hac potestate non po-
 „tuissimus, nec Episcopus nobiscum
 „decertaret, nec nos de grege illius
 „essemus, nec ullus Nuntius vexare
 „nos

„nos posset: Pars enim maxima Cleri Sæc. XVIII.
 „Superioribus suis Ecclesiasticis spretis, A. C. 1725.
 „omni punitionis timore deposito, vi-
 „tiis incitantibus, laxis habenis ad sic
 „dictam Reformationem ad exemplum
 „etiam vicinæ anhelabat, & actum de
 „Religione antiqua, vera, Catholica
 „fuiſſet in Ditione noſtra, ni per juris
 „hujus uſum animabus noſtris, Epi-
 „ſcopo, Nuntiis, Romæ tam proficuum,
 „in præcipitium jam ruentes retinuiſ-
 „ſemus. Retinuimus identidem hoc
 „jus ad hanc uſque diem; in qua ho-
 „dierno Nuntio verba Eminentiffimi
 „D'Aſti proferre grave eſt, hic enim
 „tunc temporis Nuntius, cum Deputati
 „Senatus, quorum aliqui adhuc inter
 „vivos ſunt, eum convenirent, poſt-
 „quam paternam Sanctiffimi benevo-
 „lentiam, & gratiam explicafſet, non
 „erubuit dicere, ſe expreſſum habere
 „mandatum, Helvetos in ſuis Uſibus
 „& Abufibus conſervandi. Et hæc eſt
 „incontradicibilis illa præſumptio de
 „Privilegio ſuper hac conſuetudine, ſi
 „enim Privilegium hoc non habuiſſe-
 „mus, tot Nuntii, non minus Zelan-
 „tes, prudentes, ſagaces, docti, quam
 „hodiernus, tot Epifcopi, ſeu eorum
 „Commiſſarii, ad hæc uſque tempora
 „muti non fuiſſent, cum ſat conſtet,
 „eos ad ampliandas immunitates

Sæc. XVIII. „ad Laicorum perniciem vigilantissimi
 A C. 1725. „mos, ut casus præsentaneus plus iusto
 „probat. „

Solutio Quæstionis tertice.

„Reservatur summo Pontifici, ejus
 „judicio eam Prætor, Senatus & Cen-
 „tum Viri Lucernenses in datis sub 25.
 „Januarii Anni currentis literis subje-
 „cerunt.

„interim primarii Helvetico-Catho-
 „lici Cantonis Reverentia erga sanctam
 „Sedem Apostolicam clare elucet, qui
 „forte tantisper longiori passu progres-
 „sus ad primam admonitionem Sanctif-
 „simi se recepit, & summo Pontifici
 „obedientiam suam manifeste exhibuit.„

„Si autem passus ille, quo com-
 „munitati Udlingenschweil electionem
 „novi Parochi injunxit, longior, quam
 „debit, fuit, nunquam hoc ex animo
 „Clavium potestatem offendendi, sed
 „ex sollicitudine subditorum saluti pro-
 „videndi promanavit. Sunt & aliæ
 „justæ rationes: Primo quod propter
 „infracta ab obstinato Parocho jura,
 „propter approbatam a Commissario
 „usurpationem, propter vilipendium
 „ab ambobus exhibitum, propter tot
 „a Nuntio Apostolico perpessus vexa-
 „tiones, igneis jam animis oleum &
 „stupa

„stupa injecta fuerint per literas Epi-
 „scopi, quibus nec rationes Bannifa-
 „tionis a nobis efflagitans, crude nude
 „Banni abrogationem & Parochi resti-
 „tutionem inauditis imposuit, quo fa-
 „ctum, ut illo fervore, ea ipsa hora,
 „qua dictæ literæ perlectæ fuerunt Com-
 „munitati Udlingenschweilensi manda-
 „tum de nova electione decerneretur.
 „Secundo cum Bannitum amplius non
 „recipere firmum fuerit, ut & est, re-
 „ditus itidem curæ tam exigui sint, ut
 „honestum victum, & non ultra, Vi-
 „cario suppeditare possint, adeo, ut
 „pensioni pro Parocho locus non esset,
 „& si fuisset, tam contumelioso de fru-
 „ctibus e nostra ditione aliquid con-
 „cedi non potuisset, nulla de Parochi
 „titulo memoria superfuit.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

§. XIV.

*De Parisina muliere prodigiose
 sancta.*

Illuxerat dies trigesima prima Maij, in
 quam festum Theophoriæ inciderat,
 & pro more Parisiis solemnis habebatur
 supplicatio, in qua Divinam Hostiam
 Parochus ad S. Margaritam circumfe-
 rebat. Eadem die & occasione rem
 miram humanisque viribus superiorem
 contigisse narrant Historici; quos inter,

*Relation du
 Miracl. a
 Paris.
 Mandem.
 du Card.
 de Noail.
 7. Aout.
 1725.*

Sæc. XVIII. A. C. 1725. testem coævum, omnique exceptione
 majorem seligo Cardinalem Noaillium
 Parisiensem Archiepiscopum, qui in
 veritatis subsidium rem, prout gesta
 est, retulit, die 7. Augusti edito desu-
 per, ut vocant, *mandato* seu epistola
 ferme in hæc verba: Jamjam per vi-
 ginti prope annos sanguinis fluxu labo-
 rabat Anna Charliera de la Fosse cujus-
 dam Artificis uxor, a qua quidem in-
 firmitate, etsi anno hujus sæculi duo-
 decimo restituta fuisset ope præstantis-
 simi cujusdam Medici, nomine Hel-
 vetii, inde tamen elapsis septem annis
 adeo recruduit malum, ut continuis,
 atque acutissimis doloribus paulatim
 omnes corporis vires consummarentur.
 Adhibebantur quidem omnia, quæ ad
 manum erant, remedia, sed tantum
 aberat, ut prodessent, ut magis ma-
 gisque nocerent, ac morbi vim auge-
 rent. Postremis octodecim mensibus
 ad mali vehementiam nova, tantaque
 fit accessio, ut misera nec pedibus con-
 sistere, imo nec extenuatum corpus
 fulcris sustentare posset. Ipsum adeo
 solis lumen oculis erat infestum, at-
 que ex minimo motu linquebatur ani-
 mo, quin & ex acerbissimo laterum
 dolore ægre etiam in lecto cubare pot-
 erat, ut proin de vita id solum haberet
 reliquum, quod quotidie mori se sen-
 taret,

tiret, difficillima vitam inter mortem-
 que lucta. Cum ergo humana quævis
 remedia prorsus inutilia, ac de recupe-
 randa salute sua penitus conclamatum
 esse cerneret, in solo Deo spem unicam
 reponit, ingeminat preces, jamque
 anno priori constitutum plane habet,
 ut collectis omnibus viribus, si propria
 non posset, saltem aliorum ope adjuta
 Deum Eucharisticum in proxima sup-
 plicatione comitaretur, nec a Christi
 Domini pedibus recederet, donec pri-
 stinæ reddita esset sanitati; Commen-
 dat quidem vivam ejus fidem Confes-
 sarius, nec tamen hunc fervoris impe-
 tum sequi, consultum censet; ratus,
 temeritatis notam redolere, si a Deo
 palam, & cum tanto strepitu peteret
 gratiam, quæ tamen forte deneganda
 esset. Major autem erat ejus fiducia;
 hinc spiritu Dei animata a concepto
 animi proposito dimoveri haud poterat.
 Opponitur quidem morbi gravitas, vi-
 rium impotentia, & consilii temeritas;
 objectatur etiam haud leve discrimen,
 ne a populo turmatim confluyente con-
 culcicaretur; sed immota ejus spes fa-
 cile cuncta hæc, quæ proponebantur,
 obstacula superavit. Ergo crescente ma-
 gis certæ spei ardore nil hæsitans re-
 spondit, *genibus manibusque reptans Deum
 meum languentium sospitatorem adorabo;*

Hic

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII.

A. C. 1725

Hic est, qui ægrotos jamjam erigit, mortuos animat, desperata elevat, profligat tristia, vitamque fugientem attinet, seu conclamata reponit, seu sepultam ex ipsis etiam cineribus restaurat. Hic si me sanare vult, sanabor, si autem sanitati non reddar, denegatæ gratiæ confusionem lubens feram, & in ære confecta moriar quidem, sed in oculis Dei mei, obtenta peccatorum venia moriar, & contenta ero.

His dictis animum suum magis magisque recuperandæ salutis spe ac desiderio recreabat, avidissime expectans temporis momentum, quo sacratissimum Christi Corpus ante ejus ædes deferretur. Paulopost novo, eoque acerbissimo obruitur dolore, & repente illam linguere vitalis calor, tremere manus, palpitare præcordia, oculorum acies hebetari, & internechino pene silentio halitum intercludi, totum corpus ad horrorem rigere, contentiosius laboriosiusque meatus animæ trahi: Accurrunt Medici, & fugientem spiritum, quibus poterant, remediis revocant: potentius autem levamen attulerat quædam foemina, quæ non ita pridem abjecto Calvinii errore ad Ecclesiæ sinum redierat. Hæc ergo lacrimis teneritudine nativa sublabentibus, verbisque ad inspirandam erga Deum fiduciam prævalidis ferme exanimem,

mem, dejectamque aggreditur: *in Deo* Sæc. XVIII.
ajebat ipsa, spei tuæ summam desige vivens, A. C. 1725.
desixam & ratam habe moriens; Deus e-
nim, qui potuit te repente dejicere, poterit
in momento te erigere: in memoriam revoca
Hemoroissæ exemplum, si tua æque ac illius
mulieris fides adeo firma & viva est, re-
cipies cum illa parem fiduciæ tuæ mercedem;
omnis quippe, qui sperat in Deum, non
confundetur: His verbis erecta, novam
animi firmitudinem induit, ac spe sa-
lutis animata de lectulo se proripit,
plantis vero suum officium deneganti-
bus, ac poplitibus in ipso progressus
primi conatu succiduis, aliorum opem
implorat, quorum brachiis velut sci-
pioni innixa. & vicinorum subjectis
lateri manibus ad Domus suæ januam
deportatur. Quamprimum vero San-
ctissimam Eucharistiam deserri cernit,
mox collectis viribus a sua sella se e-
rigit, inque genua se demittere parat,
sed exhausta membrorum firmitate in
terram concidit; manibus tamen ac
genibus per aliquot passus proreptans,
ante Sacrosanctum Christi Corpus pro-
volvitur, elata voce exclamans: Do-
mine, si vis, potes me sanare: Credo,
quod Tu idem sis, qui Jerosolymam ingres-
sus Hæmoroissam sanasti: Parce peccatis
meis, & sanabor. Hæc eadem verba
sæpius cum magno prorsus fervore re-
petiit

Sæc. XVIII, A. C. 1725. petiit: Tentant equidem illi, qui Sacram Hostiam venerabundi comitabantur, illam, ne a prætereuntium turba proculcicaretur, abducere: illa tamen, *Sinite me*, exclamat, *sequi Deum meum, certo sanabor, quid? vultis me impedire, ne sanitatem recuperem?* Et ecce! in eodem corporis sui situ adhuc tres quatuorque passus emensa, repente mitigatum dolorem animadvertit, mox ergo in genua, postea & in pedes se erigit, ac demum corpus tacitis virium incrementis firmari, cunctaque membra vitali rursus calore animari sentit: Dein reddita quoque pedum firmitate supplicantium agmen comitatur usque ad Ecclesiam, ab ædibus suis circiter mille passibus distitam: Effunditur in laudes & gratiarum actiones, quas Deo sospitatori suo persolvit, identidem hæc ingeminans verba: *Domine, da mihi, ut Templum tuum ingredi valeam, & certe valentior, quam unquam, ero:* Mirum! Eodem prorsus momento, quo pedem Templo infert, sanguinis fluxus sistitur & infirma integræ sanitati redditur: Hujus prodigii fama illico per urbem divulgata, Cardinalis Noaillius Parisiensis Archiepiscopus sedulo in rei veritatem inquiri jubet, audiuntur testes fide digni plusquam sexaginta: Advocantur sex Medici, scilicet Affortius, Leo-

Leoteus, Hermanus, Geofredus, Ge- Sæc. XVIII.
 lius & Helvetius, qui accersita etiam A. C. 1725.
 Obstetrice uno ore testabantur, morbo
 penitus defunctam ad pristinam sanita-
 tis alacritatem rediisse, nilque de diu-
 turnæ ægritudinis reliquiis superesse,
 quam exiguam debilitatem iis, qui con-
 valescunt, communem, vultusque co-
 lorem parum vividum, non tamen livi-
 dum. Altera die Charliera ad suam
 Ecclesiam Parochialem firmo pede con-
 tendit, ibidemque iterum debitas gra-
 tes Eucharistico Numini persolvit, cu-
 jus manifestissimo beneficio integræ sa-
 nitati restituta fuisset.

§. XV.

*Varia diversorum judicia circa hoc
prodigium.*

Dies illa tam luculento prodigio il-
 lustris omnibus Catholicis summæ
 erat lætitiæ, & solatio; resonabat Urbs
 tota festivis vocibus & laudum præco-
 niis, quibus Benefici Numinis omni-
 potentia per hujus fæminæ sanationem
 manifestata celebrabatur; plurimum
 etiam valebat hujus prodigii memo-
 ria ad fidelium animos in fide firman-
 dos: Persuasum quippe erat cunctis
 pie sentientibus, quod eo tempore,
 quo Christianorum fides erga Eucha-
 ristia

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

ristiæ Mysterium langueretur, Deus per manifesti adeo prodigii vocem ad corda hominum loqui, & Catholici hujus dogmatis veritatem novo omnipotentiae suæ testimonio confirmare dignatus fuerit: Nec vana erat eorum persuasio, quippe Charliera non modo in corpore, sed & in anima tam feliciter sanata erat, ut toto vitæ suæ tempore Deum in hoc mysterio absconditum viva semper fide veneraretur, suoque exemplo quamplurimos, in quibus fides ferme erat extincta, novo pietatis ardore accenderet, incredulos luculento hoc argumento confunderet, & titubantes proposito Divinæ clementiæ solidaret auxilio: Insaper fœmina illa, quam recens ad veram fidem fuisse conversam retuli, unacum Filio suo palam declarabat, *miram hanc sanationem fuisse effectum Omnipotentis Dei, sibi que videri, nunquam evidentius, quam hoc ipsum nostris diebus patratum fuisse miraculum.*

Attamen hoc idem prodigium, quo non tantum fidelium, sed & Calvinistarum quorundam animi sacro quodam pietatis sensu commoti erant, in aliis funestum illum, quem S. Augustinus *pœnalem cœcitatem* vocat, effectum produxit; hi enim exinde magis excæcati, atque in sua incredulitate obdurati in id omni studio incumbabant, ut

ut omnes maledicentiæ, impietatisque fontes exhaurirent, hujusque miraculi veritatem in dubium vocarent, exploderent, atque omnino inficiarentur. Horum quidam, hanc curationem nulatenus prodigiosam, supernaturalem aut extraordinariam fuisse afferebant ex eo I. quod ea, quæ a Christo sunt, miracula communiter mox perfectum producant effectum, atque *in instanti*, ut ait D. Thomas (*) *infirmis* Christus *perfectam conferat sanitatem, totaque simul redeat sanitas, quæ confertur a Domino.* Ita S. Hieronymus (**). Jam vero Medicus nomine Helvetius testabatur, quod hanc Hæmoroissam post receptam sanitatem invenerit adhuc *non nihil debilem*, prout in convalescentibus accidit, & *coloris parum vividi*; sentiebat igitur (sic inferebant illi) hæc sæmina adhuc morbi reliquias, signaque præferebat restitutæ quidem valetudinis, non autem prodigiosæ sanationis. Ast quamvis Deus quandoque in instanti infirmos sanaverit, legitur tamen apud D. Marcum c. 3. v. 22. & seqq. quod Christus Dominus cæco etiam veluti per gradus lumen reddiderit; primum enim

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

(*) D. th, 3. q. 44. art. 3. ad 2. & 3.

(**) Matth. c. 8.

Sæc. XVIII. enim, postquam cæci oculos saliva
 A. C. 1725. linierat, hic vidit *homines velut arbores
 ambulantes*, dum vero de novo Christus
 ei imposuerat manus, *cæpit videre &
 restitutus est ita, ut clare videret omnia,*
nempe, quem, ut inquit Ven. Beda ()*
Christus uno verbo totum simul curare
poterat, paulatim curat, ut magnitudinem
*humane cæcitatæ ostendat, quæ vix &
 quasi per gradus ad lucem redeat, &
 gratiam suam nobis indicet, per quam*
singula perfectionis incrementa adjuvat.

Inquiunt II, ut de miraculo constaret,
 de duobus certitudo hauriri debuisset,
 & quidem *primo*, an hæc mulier reipsa
 antea fuisset graviter infirma, *secundo*,
 an ipsius ægrotudo seu sanguinis fluxus
 fuerit inveteratus, violentus, & con-
 tinuus; novus enim, mediocris, &
 sæpe intermittens fluxus, ut suspenda-
 tur vel sistatur, non indiget supernatu-
 rali virtute; Medici autem, qui ad eam
 visendam Archiepiscopi iussu venerant,
 duntaxat testabantur, illam integra
 frui valetudine, de priori autem sani-
 tatis Statu & morbi diuturnitate testari
 nolebant, eoquod hanc mulierem nun-
 quam vidissent. Sed levissimo huic
 nodo facilis adhibetur solutio; morbus
 quippe, quo hæc mulier per 20. omnino
 annos

(*) In Matth. c. 8. cap. 34.

annos premebatur, non modo Medicis, Sæc. XVIII.
A. C. 1725.
 sed innumeris pene hominibus tam in suburbio S. Antonii, quam in aliis Parisinæ Urbis Regionibus erat notissimus, ipsam quoque infirmam Helvetius Medicus tredecim ante prodigium annis ab hac ipsa ægritudine sanavit, quamvis ea paulopost eodem morbo laborare cæpisset, & quidem adeo vehementer, ut per integros septem annos omni ferme membrorum usu, viribusque penitus destituta mortuæ similior quam vivæ videretur; cum tamen ad hunc miserrimum vitæ Statum mediocris, rarusque fluxus fæminam plane non pertraxisset &c.

Præter Calvinistas adhuc Parisiis erant Quesnelistæ seu ii, qui a Constitutione *Unigenitus* iterato appellabant. Hi quidem hanc curationem esse prodigiosam minime negabant, aliis tamen technis hujus miraculi splendorem obfuscare nitebantur; cum enim Parochus ille, qui Sacram Hostiam circumferebat, e numero Appellantium esset, spargebant, Deum hoc prodigio testari voluisse, quanto honore Appellantes velut bonos & fideles servos suos afficeret, & quam immerito illi a quibusdam vexarentur: Nempe sicut olim, Portu-Regienses Jansenii Aseclæ miraculo sacræ Spinæ suam doctrinam.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

& seditionem contra Ecclesiam vindicare nitebantur, sic & Quesneli fautores suam appellationem, & oppositionem contra Pontificis Constitutionem novo hoc prodigio cohonestandam esse censebant. Hunc in finem libellum Parisiis in vulgus disseminari curarunt, sub hoc titulo: *Relatio stupendi miraculi, quod die 31. Maij Sacrosancto Christi Corpori sacra Anno 1725. patratum fuit, unacum salutari instructione ad fideles.* In hoc libello propugnabant, Deum per hoc miraculum manifesto pro illis locutum esse, qui Constitutionem non acceptant, sed ei sese opponunt, & ad Concilium appellant, cum enim hoc miraculum intra manus Parochi ad S. Margaritam, qui S. Hostiam consecravit, eamque circumtulit, fuisset patratum, atque hic ex Appellantium numero fuisset, inde recte inferri aiebant quod Deus suum Ministrum & famulum stupendo hoc factō honoraverit. Ad dubium plane est, an in hoc Auctore magis impietas sit abominanda, quam admiranda ejus in rebus Theologicis incitia: Esto enim, quod hic Parochus fuerit Appellans, Sacramque hostiam, quam circumtulit, consecravit, inepte tamen inde deducitur, quod Deus suum Ministrum honorarit, eumque ceu bonum ac fidelem Servum esse comprobavit; quippe, an nondum ex S. Augustino

stino (*) cujus fidelissimum se jactitat Discipulum, didicit, quod *Sacramentis Dei nihil obsint mores malorum hominum, quod illa vel non, vel non minus sancta sint,* & quod Ministri Ecclesiæ duntaxat instrumentaliter operentur in Sacramentis & *Sacramenta conferre possint, etiamsi sint mali;* non enim hi Ministri propria, sed Christi virtute Sacramenta conficiunt: Nonne Christus, dum erat in manibus militum, & crucifigentium multa patravit mira in horto olivarum, & prodigia magna in monte Calvariæ? num sine blasphemia, impietate enormi, & infania abominanda dici posset, quod Salvator noster cuncta hæc miracula patravit ideo, ut militum, & Judæorum, in quorum manibus in horto & in cruce mira operatus est, ministerium honoraret? Nonne Deus non raro *signa & prodigia & Sanitates etiam per peccatores patravit?* nonne mali quoque *Christiani miracula faciunt per signa publica justitiæ, v. g. invocando nomen Christi, vel exhibendo aliqua Sacramenta (**).* Ergo Deus per prodigiosam hanc sanationem nullatenus virtutem, probitatem, fide-

G 3

lita-

(*) S. Aug. contr. Petil. Donat. l. i. c. 47.
S. Th. 3. p. q. 64. art. 9. ad 3.

(**) Gennad. de Eccl. dogm. c 51. apud
S. Aug. tom. 8. nov. edit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. litatemque Appellantium testatam red-
 A. C. 1725 dere voluit.

Præterea Deus operatur miracula ad veritatis prædicatæ confirmationem, ut docet D. Thomas (*) vel ergo Quesnelistarum doctrina est vera, vel falsa & opposita doctrinæ Universalis Ecclesiæ, cum vera esse nequeat illa, quæ ab Ecclesia Catholica, Apostolica & Romana damnata est, necesse erit, illam esse falsam, Deus vero per verum miraculum approbare nequit doctrinam Quesnelistarum, quin reprobet doctrinam suæ Ecclesiæ: Si ergo Deus prodigiosa hac curatione approbasset Quesnelistarum pertinaciam contra Ecclesiæ decisionem, miraculum operatus fuisset ad confirmandos eorum errores, & calumnias in Bullam effusas &c. a malis autem, inquit D. Thomas, qui doctrinam falsam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ. Negent ergo Quesnelistæ hujus miraculi veritatem, vel detestentur suam impietatem, qua vero miraculo errores in Constitutione damnatos fuisse confirmatos effutiunt.

§. XVI.

(*) 2. 2. q. 178. a. 2.

§. XVI.

Sæc. XVIII.
A.C. 1725.*Duodecim articuli a Cardinale Noail-
lio propositi, & Romæ exa-
minati.*

Jam supra meminimus, quod Cardi-
nalis Noaillius duodecim doctrinæ
articulos Romam transmiserit, since-
ram subjectionem pollicitus, si eos
summus Pontifex approbaturus esset.
At Benedictus XIII. in suo responso,
quod ad Cardinalis Noaillii literas de-
dit, haud obscure significabat, sibi
summopere displicere ambages hucus-
que studiosius quæsitæ; vix aliam ma-
gisque planam reconciliationis viam
superesse, quam si Constitutionem *Uni-
genitus* pure & simpliciter acceptare,
& ipse Archiepiscopus generoso suo
exemplo præcipuos factionis Præsules
ad parem submissionem pertrahere vel-
let. Hoc Pontificis responso parum
contentus Cardinalis, die decima quarta
Januarii ad Eundem perscripsit, se ve-
hementer mirari, quod Sanctitas sua
adhuc plura ab ipso peteret, cum ta-
men sibi omnino persuasum habuisset,
se voluntati Pontificis plene satisfacisse,
partim quod sinceram pollicitus esset
subjectionem, partim quod transmissis
doctrinæ articulis puræ fidei suæ testi-

*Lafiteau
Hist. de la
Const. l. 5.*

Sæc. XVIII. monium reddidisset, nil proin aliud su-
A. C. 1725. peresse, nisi ut Sanctitas sua hos arti-
 culos approbaret, & ipsamet negotium
 bene cæptum perficeret. Cum vero
 interim Parisiis Regii Senatus decreto
 præfati articuli supprimerentur, & ni-
 hilominus incertus æque ac falsus ru-
 mor passim spargeretur, hos a summo
 Pontifice fuisse approbatos, Franciæ
 Rex Cardinali Polignaco, qui Romæ
 Res Gallicas procurabat, in mandatis
 dedit, ut summo Pontifici supplicaret,
 quatenus specialem indiceret Cardina-
 lium Congregationem, in qua de his
 articulis id statuerentur, quo tandem
 præsentis controversiæ ad optatum fi-
 nem perducerentur: Igitur Pontifex
 ad Regis vota inclinatus, Pauluccium,
 Ottobonum, Corradinum, Tolomæum,
 & Pipiam Cardinales nominabat, his-
 que, adjuncto Maiellio, qui a secretis
 esset, præcepit, ut habita inter se de-
 liberatione matura de opportunis con-
 sultarent mediis, quibus Noaillius Car-
 dinalis ad saniora reduci posset. Hi
 ergo frequentes habent Conventus, &
 ut optatam Cardinalis reconciliationem
 efficerent, in excogitandis, quæ cete-
 ris leniora essent, mediis integrum bi-
 mestre absumunt. Tandem vero una-
 nimi omnium consilio declarant, ad
 Noaillum Sedi Apostolicæ concilian-
 dum

dum nil aptius videri, nisi ut præpri-
 mis Constitutionem *Unigenitus* pure &
 simpliciter amplecteretur, & præter
 suam appellationem cuncta, quæ huc-
 usque contra eam ore, calamo & opere
 egisset, sincere revocaret, ac nomina-
 tim suam Instructionem Pastoralem re-
 jiceret: Hæc omnia jam olim Inno-
 centius XIII. a Noaillo exegerat, quo-
 circa Pontifex de hujus consilii succes-
 su dubitans, a præfatæ Congregatio-
 nis Cardinalibus petiit, ut ipsimet id-
 eam conficerent epistolæ, per quam
 Noaillius Cardinalis suam revocatio-
 nem ad mentem Congregationis uni-
 verso Orbi notam faceret, palamque
 declararet, quod sua agendi ratio, qua
 hucusque Constitutioni repugnasset,
 haud immerito summi Pontificis ani-
 mum afflixisset, ac propterea sacræ Se-
 dis indignationem fuisset promeritus,
 nunc vero ipsemet omnia improbraret,
 quæ in ejus actionibus, sermonibus,
 scriptis, ac præsertim in Instructione
 Pastoralis Romæ fuissent rejecta: proin-
 Constitutionem *Unigenitus* pure & sim-
 pliciter acceptaret, cunctisque sibi sub-
 jectis injungeret, ut omnes pari obse-
 quio sese huic Bullæ subjicerent: Hu-
 jus epistolæ exemplum Pontifex ad
 Noailium Cardinalem transmissit, spe-
 fretus, hunc juxta Congregationis con-
 G 5 filium

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII.

A. C. 1725

filium debitam Constitutioni obedientiam eo promptiori animo delaturum, quo solemniori decreto nuper in Romana Synodo sancitum nosset, hanc Constitutionem *veluti Regulam fidei* a Papa, Cardinalibus, Episcopis Suburbicariis, & maximo Præsulum numero fuisse assumptam, hosque rursus eidem sincero corde sese subjecisse, suamque constantem, ac inviolabilem submissionem solemnem declaratione, authentico testimonio, & æternum perennaturo specimine comprobasse: Præterea Pontifex, ut Noailium eo certius ad obsequium revocaret, Eidem insinuari curavit, quod quamprimum huic Congregationis consilio acquieverit, atque epistolam ab ea submissam publico prelo commiserit, quantocius Pontifex ad eum daturus esset literas, quibus de sacræ Sedis gratia, paterna Pontificis benevolentia, & plena reconciliatione certior redderetur: Denique P. Gravesonius Ord. FF. Præd. Vir longe doctissimus die tertia Maij datis literis Noaillio auctor erat, ut is proposito reconciliationis medio accedere vellet, & quidem primo, eoquod heroica hæc sui ipsius victoria communi omnium applausu exciperetur, pacem Ecclesiæ redderet suosque vel potius veritatis hostes, qui Constitutionem ab ipso nunquam

quam vere & sincere recipiendam ubique spargunt, rubore suffunderet. Secundo, quod acceptato Congregationis consilio honor summi Pontificis in tuto collocaretur contra eos, qui Papam malæ fidei incusare, propositumque reconciliationis modum nonnisi collusionem, iniquitatis mysterium, opusque tenebrarum vocare audent, eoque Pontificis fidem in discrimen adduci, Clementis XI. memoriam infamari, & Constitutionis Vindicibus, sacræ Sedi, & *Universæ Ecclesiæ probrum & maculam aspergi criminantur*. Tertio quod in rejecto consilio a S. Congregatione oblato Noailii hostes pœna canerent, & ubique divulgarent, se haud temere suspicatos fuisse, quod ipse Constitutionem sincero nunquam animo sit recepturus: Expositis hisce rationibus P. Gravesonius Noailium insuper perdemisse rogabat, ut amore pacis, & pro bono Ecclesiæ privata sua studia publicæ utilitati libare, summoque Pontifici hoc solatii genus afferre vellet, ac denique serio perpenderet, quanta & quam prorsus heroica patientia Pontifex vexationes, atrocissimosque insultus hucusque perpeffus sit a Noailii hostibus, qui eoipso Pontificis quoque hostes tam aperte essent, ut Hic jure cum Psalmista conqueri posset: *Nonne*

qui

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. *qui oderant te, oderam, & super inimi-*
A. C. 1725. cos tuos tabescebam.

§. XVII.

Propositus Reconciliationis modus a
Noaillo Cardinale rejectus.

Quamvis Cardinalis Noaillius P. Gravelonio intima familiaritate conjunctus, & aliunde de paterna Pontificis benevolentia optime persuasus esset, eorum tamen consiliis hac in re aquiescere noluit; ne vero temere ac proprio arbitrato quicquam egisse videretur; die decima octava Maij Confluentium secessit, ibidem cum P. La Tour Generali Congregationis Patrum Oratorii, cum Vivantio Cancellario, Coueto, Parocho ad S. Paulum, Patre de la Borde, & Dorsannio, hac super re consultationem instituit. Horum autem omnium sententia eo abibat, unionem quidem cum Pontifice, sacraque Sede non esse scindendam, nec tamen propterea propositum conciliandi modum esse adoptandum: Hujus vero judicii rationes petebant 1. ex ipsa agendi ratione, quam tenuisset Pontifex, 2. ex propositi consilii conditione, 3. ex damnis, quæ ex divulgata Congregationis epistola orirentur: Circa primum observabant, quod Pontifex, nescio quanta

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

quanta pollicitus esset, & a Cardinale olim nil nisi Constitutionis acceptationem exegisset, quin ullam fecisset mentionem vel de ejus appellatione vel de Instructione Pastoralis; postea vero Constitutione eo modo, quo petitum fuisset, semel recepta, Pontifex adeo non literas, uti promiserat *benevolas* ad Cardinalem dederit, ut ipsum potius *acerbissimis* exasperarit verbis: In ipso autem Congregationis consilio non paucos latere nævos censebant, & quidem primo, insinuari infallibilitatem Pontificiam ex eo, quia Cardinali præcipitur, ut *omnimoda obedientia* sese sanctæ Sedis judicio semper & in omnibus subjiciat. 2. Exigi ab Archiepiscopo tam humilem revocationem, qualis ab Episcopo Italo, etsi perversissimæ vitæ & doctrinæ, vix exigi posset. 3. Sequi, quod si Noaillius in sua Instructione cuncta sacræ Sedi minus accepta damnare cogeretur, eo ipso etiam suum recursum ad Papam, suam appellationem & omnes Regni leges ibidem stabilitas reprobare videretur. 4. Eundem adstringi ad *puram & simplicem* acceptationem, qualis tamen a nemine unquam petita fuisset, & quæ jam Anno 1714. rejecta, a Clero Gallicano tanquam Parlamenti modificationibus contraria ex Clementis XI. Brevi fuisset

fet

Sæc. XVIII. set deleta. 5. Postulari a Cardinale, A. C. 1725. ut totam suam Diæcesin eo adigeret, ut quod ipse rejicit vel acceptat, id ipsum illa cum ipso rejiciat & acceptet, quod tamen æquitati repugnaret, quia Parisina Diæcesis non esset deterioris conditionis, quam ceteræ Regni Diæceses, quæ Constitutionem *pure & simpliciter* non recepissent. Denique exaggerabant sequelas ex ejusmodi consilio orituras, has inter prima erat, solum P. Gravesonium, quia pollicitationis Noaillo factæ vadem se præbuisset, si S. Officium promissis non steterit, gravem ejusdem Tribunalis indignationem, vexationemque subiturum. 2. Secundum hujus consilii successum omnino dependere a religioso secreto, id tamen abs dubio violandum, quia hoc negotium ab ejusmodi pertractaretur Cardinalibus, qui nec Noaillii, nec pacis amici forent. 3. Promitti quidem, mox paternas Pontificis literas ad Noailium esse mittendas, haud immerito tamen timendum, ne Maiellus eas impediendi varios excogitaturus esset prætextus, quos inter haud infimum fore Romanorum Cardinalium solertiam, qua de totius Diæcesis submissione authenticum exigitori essent testimonium, quod priusquam daretur, totam Diæcesin
 contra

contra Noaillium insurrectionem, huncque exin in deplorandum conjici Statum, ab Amicis derelinqui, ab inimicis vexari, ejusque auctoritate vilipensa, ejus famam, non sine maximo temporis & honoris dispendio fæde profcindi. 4. Promitti quidem Breve Pontificium, cujus autem tenoris illud sit futurum, ignorari; forte in eo ex duodecim articulis non nullos esse delendos, alios in alium sensum inflectendos, vel clausulas Gallicanis libertatibus contrarias adjiciendas esse: fors etiam Noaillium velut hæreticum nunc primum ad sanam fidem revocatum, vel saltem ceu ovem errabundam a bono Pastore ad gregem reportatam, vel tanquam Filium prodigum in se reversum ibidem fore depingendum. 5. Haud dubitandum, quin promulgato Congregationis consilio Parochi & Religiosi illud acceptare sint recusaturi, proin haud abs re verendum, ne innumeræ fierent appellationes ad futurum Concilium, & Parlamentum, sicut olim contra Boloniensis Episcopi mandatum, ita & nunc adversus Noaillii epistolam insurgeret, proin posteriora essent pejora prioribus, nec vera & solida pax redderetur, sed novi potius enascerentur tumultus, non sine Ultramontanorum jubilo, qui gavisuri essent, quod

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. quod Parisiensis Archiepiscopus,
 A. C. 1725. qui pro libertatibus Ecclesiæ Gal-
 licanæ tam diu, tamque constanter de-
 certasset, tandem decisiones S. Officii
 ceu *infallibiles* agnoscere, suam ad fu-
 turum Concilium appellationem dam-
 nare, & Constitutionem *Unigenitus pure*
 & *simpliciter* acceptare compulsus fuis-
 set. Denique manifestum fieri, quod
 Papa quidem eo fine duodecim arti-
 culorum doctrinam ceu sanam, veram
 & orthodoxam agnovisset, ut pacem
 Franciæ redderet, Cardinales tamen,
 quamvis nonnisi Cleri Romani pars
 essent, eidem resisterint, proin-
 Pontificum infallibilitas non Pon-
 tifici, sed Cardinalibus compete-
 ret. Præterea, si Pontifex hos arti-
 culos approbare renuerit, Molinistis
 integrum fore, in vulgus spargere, prout
 jamjam divulgassent, per Constitutio-
 nem *Unigenitus* damnari duodecim hosce
 articulos, id tamen in Clementis XI.
 qui illam edidisset, in sanctæ Sedis, quæ
 illam adoptasset, & in omnium eorum,
 qui eam amplexati fuissent, injuriam
 & dedecus cedere.

His fusius expositis præfati Consi-
 liarii deliberabant, quid in præsentii
 rerum vicissitudine Noaillio agendum,
 & demum in quid salvo suo honore
 consentire posset. Hos inter Couetus
 cen-

censuit, *puram & simplicem* Constitutio-
 nis acceptationem non esse quidem re-
 jiciendam, moderandam tamen præ-
 missa præfatione, qua explicaretur,
 quid nomine ejusmodi acceptationis in-
 telligendum, & quid Cardinalis jure
 concedere valeret, dein præter man-
 datum etiam epistolam omni submis-
 sione plenam ad Papam esse mitten-
 dam, in qua proponerentur rationes,
 ob quas Noaillius S. Officii sententiam
 sequi prohiberetur: Postea Pater la
 Tour, Vivantius, & Parochus S. Pauli
 ejusmodi mandatum, seu Epistolam
 Pastoralem esse vulgandam censebant,
 Dorsannus vero & P. la Borde duntaxat
 officiosas literas Romam a Noaillio esse
 mittendas asseriebant, quinimo Pa-
 rochus palam edicebat, quod accepta-
 tio *pura & simplex* foret magis oppor-
 tuna, quam *relativa*: Rebus tandem
 maturius ponderatis conclusum est, ut
 simul mandati Romam transmittendi
 norma a Coueto, & epistolæ ad Papam
 perscribendæ idea a P. la Borde con-
 ficeretur.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

§. XVIII.

*Duodecim doctrinæ articuli a Noail-
 lio propositi Regis jussu
 suppressi.*

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

H In-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Lafiteau
h. c. p. 226.

Interea temporis duodecim Noailii Cardinalis articuli unacum annotationibus sub titulo: *Explicationes SS. D. N. Papæ Benedicti XIII. circa Bullam Unigenitus Mense Martio 1725. in Franciam missæ*, Trecis prodire: quo comperto Sedis Apostolicæ Nuntius apud Franciæ Regem summis precibus instabat, ut hic libellus tanquam in fide suspectus, & Jansenismo favens supprimeretur: Existimabant nonnulli, Nuntium id suo duntaxat arbitrato postulasse, eo fine, ut in vulgus spargi, & publico Regis testimonio comprobari posset, quod Pontifex hos articulos nunquam approbarit, vel saltem ab iis, eo quod jam a Regis Senatu rejecti essent, deinceps approbandis absterreretur. Eapropter Nuntius Papæ mandatum si quod desuper datum esset, exhibere jubetur, ipse autem duntaxat literas Paulutii Cardinalis protulit, ex quibus Rex edoctus, quod Pontifex, sub cuius nomine hi articuli falso prodire, nullam in iis partem haberet, tantam veteratorum temeritatem severius punire statuit. Postquam vero de supprimendis hisce articulis rumor ad Noailii aures pervenerat, quantocius datis ad Morvillum Comitem literis exponebat, quam graves turbæ & mala essent timenda, si hoc scriptum Regii Senatus

De-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Decreto damnaretur: Verum hic nil aliud respondit, quam quod hanc sententiam Nuntius Apostolicus nomine summi Pontificis sollicitavit: Interim urgente ipsomet Regio *conscientiæ*, ut vocant, Senatu die vigesima secunda Junii decretum promulgabatur, cujus summa hæc erat: Cum Regiæ suæ Majestati probe cognitum sit, quod propositiones in hoc libello contentæ hucusque nullo authentico Sanctitatis suæ testimonio fuerint approbatæ; & nihilominus, quod nonnulli eo devenerint, ut hoc scriptum non modo typis edere, sed & ex proprio cerebro annotationes captiosas addere præsumerent, &, quod pejus est, confictum *Doctrinæ corpus* velut a Theologica Facultate Parisina editum, quamvis ab ea ceu genuinus illius partus nunquam fuerit agnitus nullaque auctoritate munitus, in perversitatis tamen subsidium advocarent, hinc sua Majestas ad horum temeritatem reprimendam præcipit, . . . ut hoc scriptum proscribatur, & dilaceretur, ejusque exemplaria omnia ad Regium Senatum deferantur &c., Cum vero Quesnelistæ artificiosam suam machinationem hoc decreto elusam cernebant, haud amplius quidem spargere audebant, quod Pontifex hos ar-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725. tuculos approbarit, ubique tamen jactabant, Papam saltem fuisse pollicitum, quod Constitutionis explicationes edere, & hos articulos approbare velit: Ast Beaumontius Santonensis Episcopus, cum de veritate hujus rumoris vehementer dubitaret, Nuntium Apostolicum enixe rogabat, ut ex ipsius Pontificis ore & calamo certam hac super re notitiam haurire haud cunctaretur; interim vero hunc libellum ipse censuris perstrinxit, ejusque lectionem suis Diæcesanis severe inhibuit. Evoluto postmodum Mense Cardinalis Paulucius datis ad Nuntium Apostolicum literis significabat, Episcopum hosce articulos proscribendo ex asse Pastoralis officii partes adimplevisse & Refractoriorum calumnias ac mendacia suo decreto ad ultimas usque fæces detexisse, ac propterea Pontificis gratiam & applausum novo hoc Zeli sui erga sanam doctrinam specimine fuisse promeritum.

§. XIX.

Noaillii Cardinalis epistola ad Papam.

His tamen omnibus finistris sui consilii successibus minime terrebatur Cardinalis Noaillius, sed a suæ factionis

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

nis Affectis de proxima, & quidem Pontificia articulorum approbatione male persuasus, literas die vigesima tertia Julii ad Papam dedit, quibus efflictim petebat, ut nuper Romam transmissos doctrinæ articulos in illo approbaret Brevi, quod sua Sanctitas „ad ipsum mox mittere decrevisset, „quamprimum ipse mandati formulam „Roma transmissam publici juris fecisset: postea exposuit Noaillius, se quidem hanc epistolæ ideam recepisse, „se tamen eam amplecti haud posse, „eo quod verbis minus honorificis esset „concepta, & pura simplexque acceptatio novos, gravioresque tumultus „excitatura esset, aliunde vero si Instructionem Pastoralem, & quicquid „contra Constitutionem scripsisset, e- „gissetque, revocare vellet, eo ipso Ecclesiæ Gallicanæ doctrinas everteret; „se quidem ob reverentiam de terminis oppido duris, quibus mandati „formula nuper transmissa esset concepta, non conqueri, sperare tamen, „Pontificem perlecto eo mandato, quod „ipse Romam transmissurus esset, haud „amplius Romanæ illius formulæ recordaturum, sed potius idem Breve, „quod antea se Parisios missurum pollicitus esset, absdubio expediturum., „Huic igitur epistolæ aliud mandatum

H 3

longe

Sæc. XVIII. longe diversum ab eo, cujus ideam
A. C. 1725. Roma acceperat, adjunxit, sponse
 facta, se mox Constitutionem acceptu-
 rum, quamprimum exoptatum Breve
 Pontificium recepisset. Hæc ubi Ro-
 hanius & Bissius Cardinales, necnon
 Fleurius Forojuliensis Episcopus resci-
 verant, illico die vigesima nona Octo-
 bris ad Papam perscripsere, mirari se
 vehementer, quod Noaillius de Consti-
 tutionis, quæ tamen jam ubique re-
 cepta esset, acceptandæ modo primum
 deliberare præsumeret, & suæ Sancti-
 tati acceptationis formulam ab ea, qua
 hucusque omnes ceteri Episcopi usi
 fuissent, penitus diversam proponere
 auderet. Horum ergo literas unacum
 Noaillii mandato Pontifex ad Congre-
 gationem nuper hac de causa erectam
 remisit, & Pipiæ Cardinali tunc ab-
 senti Cardinalem Falconerium subro-
 gavit; demum vero eis adhuc Daviam,
 Origium & Scottum Cardinales adjun-
 xit præter Prosperum Lambertinum
 postea Pontificem, Assideum sacri Offi-
 cii Assessorem, & tres Theologos Pa-
 trem Sellerium Dominicanum, S. Pa-
 latii Magistrum, P. Baldratium Ord.
 S. Francisci, & P. Porciam Benedicti-
 num.

§. XX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.*Alius reconciliationis modus Noaillio
Cardinali propositus.*

Interim etiam hi, qui Cardinalis Noail-
lii partes studiosas sequebantur,
majoris mali metu territi nullum non
movebant lapidem, ut hunc Purpura-
tum Sacræ Sedi reconciliarent, pro-
sperum sui conatus successum sibi fir-
miter polliciti sub tanto Pontifice, cu-
jus bonitas, sapientia, sanctitas, &
cælitus communicata dona ad emol-
liendam omnem humani cordis duri-
tiem apta, nataque videbantur. Præ-
primis igitur P. Girardus Congregatio-
nis Oratorii Sacerdos tum Romæ agens,
die vigesima sexta Julii datis literis
Noaillio Cardinali auctor exstitit, ut
cum solo Cardinale Coscia, qui sum-
mo Pontifici percharus esset, deinceps
ageret, eo magis, quod hic jamjam
declarasset, se lubenter hac in re ar-
bitri partes acturum, dummodo res fi-
deli silentio premeretur, & conditio-
nes, quæ honeste offerri, & decenter
a Papa admitti possent, proponerentur:
postea P. Girardus descendit ad condi-
tiones, quibus adimpletis huic contro-
versæ absdubio finem esse imponen-
dum spondebat. Ex his erat Prima:

H 4

ut

Sæc. XVIII. ut Cardinalis Noaillius Constitutionem
A. C. 1725. *cum debita & omnimoda obedientia reci-*
 peret. II. Ut huic acceptationi fidei
 professionem adjungeret, eamque sanctæ
 Sedis judicio subjiceret. III. Ut ad
 Pontificem literas perscriberet, unacum
 acclusa hac acceptatione, fideique pro-
 fessione. IV. Ut Pontifex rogaretur,
 ut dictam professionem approbaret, &
 quidem iisdem ferme verbis, quæ Bo-
 nifacius II. ad S. Cæsarium Arelaten-
 sem Archiepiscopum perscripserat: *Fra-*
ternitatem tuam habita collatione cum qui-
busdam (Cardinalibus) juxta fidem gau-
demus sensisse Catholicam . . . quapropter
affectu congruo salutantes, superscriptam
confessionem vestram consentaneam Catho-
licis Patrum Regulis approbamus. V. Ut
 recepto hoc Pontificis Brevi Noaillius
 mandatum ederet, cui præfatam ejus
 acceptationem & fidei suæ declaratio-
 nem infereret. VI. Ut hujus Mandati
 formulam, a S. Congregatione exami-
 nandam, Romam mitteret. VII. Ut
 rogaretur Pontifex, ne hac super re
 alios Cardinales, præter Pauluccium,
 Pipiam, Polignacum & Cosciam in con-
 siliium adhiberet. Expositis hisce con-
 ditionibus Girardus in sua epistola Noail-
 lio innuit, hunc conciliandi modum
 Isoldio Cosciæ Cardinalis Auditori plu-
 rimum arrisisse, eumque fecisse spem,
 non

non modo Cosciam, sed & Pontificem
 has conditiones ratas habituros: Pla-
 cuere etiam Noaillio omnes hæ leges,
 excepta conditione *de omnimoda obe-*
dientia.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

§. XXI.

*Quædam S. Congregationis decreta
 ad Noaillium Cardinalem
 transmissa.*

Sub idem tempus Cardinalis Poligna-
 cus Roma Parisios ad Cardinalem
 Noaillium transmisit S. Congregationis
 Inquisitionis Romanæ decretum, vi-
 cujus hoc anno die decima tertia Fe-
 bruarii ad Indicem librorum prohibito-
 rum rejecta fuit septem Episcoporum
 Appellantium epistola ad Franciæ Re-
 gem contra Epistolam Pastoralem Bissii
 Cardinalis, eoquod *illa propositiones Er-*
roneas, hæresin sapientes contineret & se-
cundum se tota esset schismatica. Insu-
 per *rationum expositio Montpessulani*
 Episcopi contra Senatus edictum Anno
 1723. die 11. Martii, *Epistola Pastoralis*
 ejusdem Episcopi ad suæ Diæcesis Cle-
 rum circa Formularium Anno 1724. &
Epistola Dugueti ad eundem Episcopum
 die 25. Julii 1724. prohibebantur, *uti*
continentes Propositiones temerarias, Sedi
Apostolicæ injuriosas, & secundum se
 H 5 *totas*

Index #br.
proh. p. 103.
& 155.

Sæc. XVIII. *totas spiritu schismatico & hæretico ple-*
 A. C. 1725. *nas: Præterea eadem S. Congregatio*
 prohibuit mandatum & Pastoralem Ba-
 jocensis Episcopi instructionem de An-
 no 1724. *ceu continentem plures proposi-*
tiones Catholicis Episcopis & præsertim
Gallicanis, Sanctitati suæ, sanctæ Sedi
Apostolicæ injurias, schismaticas & hæ-
resi faventes: Eadem die, sine ulla ta-
men censura, a præfata S. Congrega-
tione nonus Claudii Fleurii discursus
circa libertates Ecclesiæ Gallicanæ una-
cum notis eidem subjectis inter libros pro-
hibitos recensitus est. Denique ad eun-
dem Cardinalem Noailium transmitt-
ebantur duo hæc excerpta:

„Theses damnata Decreto Sacræ
 „Congregationis sancti Officii die deci-
 „ma tertia Februarii 1725. ut in folio
 „impresso, in quo damantur Theses im-
 „pressæ Cæsar - Augustæ, ex quibus
 „una erat sequens:

Cum Concilium Senonense contra Lu-
therum, & Tridentinum contra eundem
& Calvinum, & Alexander septimus &
Innocentius decimus contra Jansenium
Gratiam Auxiliantem non aliam quam
ab intrinseco efficacem damaverint, Gra-
tiam ab ex trinscco efficacem adstruimus
& ab intrinseco efficacem negamus. Fe-
ria quarta die quinta Julii 1719.

„In.

„Instante quodam Patre Societatis
 „apud Sacram Congregationem sancti
 „Officii, quod possint, tam ipse quam
 „alii Patres Societatis, continuare in
 „usu & antiqua possessione imprimendi
 „sequentem Conclusionem: *ad hoc ut
 causa secunda exeat in actum, non indi-
 get, ut a qualitate Physica prædeterminante
 moveatur, quæ, ut qualitas Physica, est
 superflua, & Prædeterminans & infalli-
 biliter connexa cum actu secundo impedit
 Libertatem causæ liberæ.*

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

„Eminentissimi & Reverendissimi
 „Cardinales, Generales Inquisitores
 „audito Voto Dominorum Consulto-
 „rum decreverunt, posse permitti im-
 „pressionem Thesis, de qua agitur, ad-
 „dita tamen sequenti clausula: *quid-
 quid alii Viri Catholici in scholis Ca-
 tholicis credant.*

§. XXII.

*Cleri Gallicani oppositio contra in-
 dictum subsidium.*

Jam anno hujus sæculi vigesimo pri-
 mo in Franciam deducebatur Ma-
 ria Anna Philippi V. Hispaniæ Regis
 Filia, quæ Ludovico XV. Galliarum
 Regi tum nonnisi undecim annos nato
 desponsata erat: cum vero ipsa Medi-
 corum judicio ob corporis gracilita-
 tem

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

tem exiguam fœcunditatis spem faceret, & nondum duodecimum ætatis annum egressa, Viro immatura esset, de illa in Hispaniam reducenda agebatur; Res tamen aliquamdiu religioso obvolvebatur silentio, donec Ludovicus Rex gravi obrueretur morbo; tum vero, ne Regnum Regio hærede destitutum cruento bello implicaretur, die prima Martii communi Procerum consensu decretum est, remissa in Hispaniam Anna aliam juveni Regi conjugem esse conciliandem. Selegerat autem præ ceteris Rex Mariam Stanislawi Poloni Regis Filiam, incredibili venustate, & morum comitate præcellentem: Celebrantur die tertia Septembris Fontisbellaquei solemnia desponsationis festa, Regios Sponsos conjungente Rohanio Cardinale: Tantus in hac festivitate luxus erat, ut nihil ad pompam & magnificentiam addi posse videretur: Cum autem Regis ærarium tam graves impensas sustinere haud valeret, in singula capita tributum imponebatur, & Rex a Clero Gallicano tum in comitiis congregato quinquagesimum nummum ex eorum bonis petebat: Id illis oppido grave acciderat, qui non ita pridem gratuiti, ut ajunt, doni nomine Regi quinque librarum milliones obtulerant:

Ergo

Ergo consilium hac super re ineunt, & cunctis aliis repulsam esse dandam opinantibus, solus Arelatensis Archiepiscopus exposuit, haud consultum esse, Regis voluntati resistere; timendum enim, ne Rex in praesenti rerum vicissitudine suam opem ad reprimendos Appellantes necessariam non modo Episcopis denegaret, sed hac repulsa offensus, forte etiam Ecclesiae rebelles ac Refractarios suo foveret patrocinio, petitum ergo censum omnino Regi esse tribuendum, ea tamen conditione, ut vicissim Rex, omnes appellationes, hactenus interpositas, ac deinceps interponendas tanquam omnino irritas declararet, Appellantesque ad officium redigeret: Displicuit cunctis haec Archiepiscopi sententia, ceteris palam profitentibus, quod tanto oneri ferendo haud essent. Die igitur sexta Septembris unanimi omnium consensu Cleri Gallicani Praefules ex suis quosdam designant, qui ceterorum nomine Borbonium Ducem adirent, supplicantes, ut pensata subsidii, quod novissime praestitissent mole, Clerum a nova exactione liberari procuraret: Hos Deputatos Dux omniquidem humanitatis & benevolentiae officio excepit, firmiter tamen exigendo huic tributo institit; insuper etiam

rumo-

Saec. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. rumore haud incerto jactabatur, Re-
 gem edito decreto jussurum, ut, ne-
 quidem expectato Cleri consensu ex Ec-
 clesiæ redivitibus postulata pecuniarum
 summa colligeretur. Nihilominus De-
 putati Ducem rogabant, ut libello sup-
 plici suæ repulsæ rationes Regi expo-
 nere permitterentur, quibus Dux quo-
 que, se desuper cum Rege acturum
 reposuit; interim vero Andegavensi Epi-
 scopo datum est negotium, ut præfa-
 tum libellum supplicem conficeret. Sub
 idem tempus Clerus invitabatur, ut
 die septima Septembris Hymno Am-
 brosiano, qui ob Regis connubium so-
 lemni pompa in Cathedrali Parisiis de-
 cantabatur, una omnes interessent: sed
 rursus nova desuper movetur contro-
 versia; Archiepiscopus enim Arela-
 tensis haud dissimulanter enuntiat, in-
 decens esse, ut Præsules Catholici cum
 Archiepiscopo & Capitulo sanctæ Sedi
 refractario in publicis precibus com-
 municarent: Tholosanus vero Archi-
 præsul sese opponens, *Urget*, inque-
 bat, *Regis mandatum, cui omnino paren-
 dum, non autem deliberandum, an obedire
 conveniat*: Verum Arelatensis, San-
 Florianus, Carnutensis, Aurelianensis,
 Vapicensis, Massiliensis & alii huic so-
 lemnitati adesse recusarunt, nonnisi
 septendecin Præsulibus Ecclesiam ea
 die

die accedentibus. Die autem vigesi-
 ma quinta Octobris Rex ad congrega-
 tos Præsules literas misit, in quibus
 jubebantur, ut nulla mora comitia sol-
 verent, & nequidem de rebus Ecclesia-
 sticis, multo minus de Appellantium cau-
 sa ultra agerent: Nihilominus tamen pri-
 die, quam finis daretur comitiis, Præ-
 sulum potissimi subscripserant literis,
 quibus pro condonanda exactione Regi
 supplicabant, declarabantque, Consti-
 tutionem *Unigenitus legem esse Ecclesiæ
 & Regni irrefragabilem*, proin quemlibet
 Episcopum teneri, ut illius observan-
 tiam in sua Diæcesi urgeret, necnon
 Sacerdotem a Beneficii possessione ar-
 ceret, nisi is luculenta suæ submissio-
 nis specimina ediderit &c. His literis
 omnes Episcopi, exceptis quinque, sua
 apposuere nomina, easque Tholosanus
 Archiepiscopus Borbonio Duci con-
 signabat: Ast re comperta Rex tanta
 indignatione accendebatur, ut Episco-
 pis per Maurepasium Comitem inhibe-
 ret, ne ullum hujus epistolæ apogra-
 phum divulgarent, sed mox ipsi ad suas
 reverterentur Diæceses. Nec hic stetit
 Regis ira; Mense enim Novembri idem
 Maurepasius Regis jussu ad Cænobium
 PP. Augustinianorum, ubi comitia ce-
 lebrabantur, convolat, & a Cleri Agen-
 tibus postulat, ut mox Cleri Archivum
 aperi-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII
A. C. 1725

aperirent, & epistolæ tranſumptum unacum ceteris conſultationis nuper habitæ actis traderent. Parent hi Regis mandato, moxque cuncta hæc ſcripta ad Comitum cubile deferunt: Hic vero ex actis integras ſtrophas ipſis præſentibus, delet, apographum epistolæ ad Regem ſcriptæ dilacerat, & acta ſecum ad Curiam deſert. Hac tamen ſeveritate Borbonius Dux ſibi grave populi odium accerſivit, & Clero Gallicano acerbum vulnus infixit.

§. XXIII.

Leves controverſiæ Papam inter & Cardinales.

Inter Apoſtolicas ſollicitudines, quibus Pontificis animus diſtinebatur, haud infima erat, qua ſacri Anni tempore Catholicum gregem inſtrueret, & Clericorum mores corrigeret: Præprimis igitur, ut ſuo exemplo populum ad pietatem melioremque frugem incitaret, ipſus Eccleſias ſæpius ſine curru luſtravit, & peregrinos, quorum maxima multitudo Romam venerat, doctrinæ pabulo, & larga eleemoſyna recreavit, eorum pedes lavit, & ad menſam more famulorum deſerviit. Viros quoque Illuſtres, atque inter eos Violentam Beatricem Bavaricæ gentis magnam

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

gnam Etruriæ Ducissam, ejusque Ne-
potem Carolum Albertum Electoralem
Bavariæ Principem, omnibus comitatis
officiis exceptit, pios hosce labores lucu-
lenter Benedicente Domino: Hic idem
quippe annus permolestam & sub binis
Pontificibus agitatum querelam de Co-
maclensi Urbe sacrae Sedi restituenda,
felici exitu absolvit: Vix enim Bene-
dictus Pontificatum susceperat, cum
illico hanc Civitatem reddi, Sacerdo-
tali libertate a Carolo VI. Cæsare pe-
teret, Imperator ergo gravibus tanti
Pontificis monitis, rationibusque per-
motus, libere & sine ulla conditione
hanc Urbem tanquam Patrimonium
Divi Petri restituendam censuit. Die
igitur vigesima Februarii subducitur
Cæsareus miles, arxque unacum om-
nibus adjacentibus terris Papæ Admi-
nistris traditur: Felicem hunc succes-
sum Pontifex eodem die habito Patrum
Senatu, Cardinalibus una congregatis
non sine animi jubilo denuntiabat, nec
tamen hæc ipsa felicitas sine fastidii sæce
fluebat; Benedictus XIII. enim in eo-
dem, ut vocant, Consistorio Purpura-
tis proponebat, sibi constitutum esse,
ut Noaillius Cardinalis titulum S. Ma-
riæ supra Minervam, quem hucusque
optasset, Cardinali Pipiæ ex Ord. FF.
Prædicatorum cederet, & illum S. Sixti

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

I assu-

Sæc. XVIII. affumeret, seque hac de re cum Noail-
 A. C. 1725. lio jamjam egisse, ejusque consensum
 sine ulla difficultate obtinuisse: Hæc
 propositio ex Cardinalibus non paucos
 vehementer offendit, atque inter eos
 præcipue Fabronius, Pauluccius, Al-
 banus & Cienfuegos palam exclama-
 runt, indignum esse, ut Vir, qui vi
 Constitutionis Apostolicæ (*) anathe-
 matis vinculo esset irretitus, Sacerdo-
 tali titulo honoraretur: Acrius etiam
 declamabat Fabronius contra Noail-
 lium, nec palam declarare dubitabat,
 quod hic Cardinalis potius promerere-
 tur diris atque execrationibus devoveri,
 suisque exui dignitatibus, quam novis
 honorum titulis augeri: Hæc Fabronii
 verba Pontifex non sine stomacho ex-
 cepit, loquentisque vehementiam gravi-
 quidem, paterna tamen adhortatione
 repressit, innata ejus moderatione in-
 dignationis sensum adhuc superante.
 Noaillius vero, ubi a Pipia Cardinale
 titulum S. Mariæ supra Minervam assum-
 ptum compererat, ipse etiam titulum
 S. Sixti cooptabat, quin propterea sese
 opponentium fervor resideret, octo e-
 nim Cardinales, finito, ut ajunt, Con-
 sistorio apud Pauluccium Cardinalem
 suas denuo querelas ingeminabant, qui-
 bus

(*) Quæ incipit: *Pastoralis officii An. 1718*

bus hic etiam pollicitus est, se eorum rationes mox summo Pontifici expositurum. Hic vero non tam Pontificis quam Viri sancti Personam agens, hæc respondit: „In permutatione hujus tituli Noaillius Cardinalis nullam habet partem: Ego sum, qui id, & forte nimis importune, desideravi, non igitur Noaillio, sed mihi molestiam inferunt Cardinales illi, qui hanc permutationem frustrari conantur; mea tamen desideria fors nimis carnalia reprimere, jam didici, si id charitas, meisque Con-Fratribus complacendi studium exposcit.„ Nec in solis verbis hæsit sanctissimi Pontificis voluntas: absque mora enim Abbati Rothelino, qui Roma Parisios proficiscebatur, negotium dedit, ut Cardinali Noaillio significaret, quatenus retento titulo S. Mariæ supra Minervam illum S. Sixti dimitteret: id etiam eadem adhuc die Cardinali Ottobono Pro-Cancellario indicari iussit, ut elucet ex Apostolici Secretarii literis die vigesima secunda Februarii decerptis, hujus tenoris: „Mota heri in Consistorio quæstione de titulis a Noaillio & Pipia permutandis, mature ponderatum est, ex hoc actu inferri posse, ac si Noaillius Cardinalis jamjam sacræ Sedi reconciliatus esset, quin tamen ipse prævie de-

1 2

„super,

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. „super, prout necessarium foret, mentem suam declarasset, sed, ut ad id induceretur, duntaxat laboretur: Hinc Pontifex vult & præcipit, ut omnia tam quod tituli concessionem, quam quod hujus expeditionis literas ad acta referendas concernit, in suspenso relinquuntur, usquedum Sanctitas sua aliter decreverit, interim Eadem id Cardinali Ottobono significavit, ut de mente Pontificis certior factus, se conformet.”

Composita hac lite, alia oriebatur difficultas; Pontifex enim unice intentus, ut decor Domus Dei ubique servaretur, omnesque irrepentes corruptelæ eliminarentur, Ecclesias quoque Titulares, quas Cardinales possederant, lustrari jusserat; cum autem ad hoc simplices selegisset Sacerdotes, Purpurati suis juribus plurimum derogari querebantur, contendentes, sibi solis ejusmodi jus competere. Nihilominus Cardinalis Pereira sine tergiversatione concesserat, ut Matthæus Barba Sacerdos simplex ejus Ecclesiam tit. SS. duodecim. Apostolorum visiteret: paulopost tamen aut de suo jure melius edoctus, aut ab aliis instigatus reclamabat, edito etiam libello, in quo hanc S. Collegii prærogativam demonstratum ibat, atque in Cardinali-

tiae dignitatis laudes effusus. affererat, eos esse *Patres spirituales, Ecclesiae lumina & columnas*, eorumque dignitatem post Pontificiam esse primam, ceterisque praëminentem, proin si a simplicibus Prælatibus Cardinalium Ecclesiae lustrari permitterentur, sacratum rumpetur vinculum, quo cum sacris suis Sponsis uniti essent &c. Ceterum Pontifex hanc quoque controversiam juxta Cardinalium vota diremit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

§. XXIV:

Varia Quesnelistarum fata.

Quamvis non pauci, deposita pervicacia, Constitutioni *Unigenitus* pure & simpliciter subscriberent, non deerant tamen, qui potius contradicendi studio, quam agnitæ veritatis impulsu extrema quæque oppetere, quam Pastorum voci obtemperare velent. Hos inter præcipui erant quidam Sacerdotes, *Lazaristas* vocant, quos tamen Bonetus hujus Congregationis Superior Generalis e suorum gremio expulit, eoquod Constitutionem acceptare, fanatica obstinatione recusarent. Viginti sex etiam Carthusiani, & quindecim Orvalensis Abbatiæ Religiosi, cum ob suam pertinaciam promeritis poenis castigarentur, relicta patria

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

tria in Hollandiam profugere, inde vero ad suos Superiores literas dederunt, in quibus simulata submissione & Urbanitate suam rebellionem & convitia palliare nitebantur. Nec eis deerant, qui eorum apostasiam excusarent, editis apologiis, quas tamen Parlamentum Parisiense die 26. Aprilis suppressit: Eos quidem Ordinis sui Generalis iterato revocare nitebatur, promissa eorum impunitate, ex quibus etiam nonnulli rediere, ceteris in sua pervicacia senescentibus. Magis dociles experiebatur suos Monachos P. Samarthanus Benedictinæ Congregationis S. Mauri Præpositus Generalis, qui acceptationis formam suis præscripsit hujus tenoris: „Nos infra scripti „ex literis Roma acceptis intelleximus „quod summus Pontifex Benedictus „XIII. post Clementem XI. & Innocentium XIII. Pontifices, fel. rec. „Prædecessores suos declararit, per „Bullam *Unigenitus* nec dogma gratiæ „ex se ipsa efficacis, nec doctrinam „SS. Augustini & Thomæ censuris fuisse „ullatenus notatam, & quod idem Pontifex vivæ vocis oraculo professus sit, „præfatam Bullam in nullo capite a „Regulis morum & disciplinæ seu a „dogmate a D. Carolo Borromæo cum „S. Sedis approbatione fidelibus tra-

„dito

„dito recedere, hinc declaramus, nos
 „præfatam Bullam *Unigenitus* prom-
 „ptissimo animo & ea, qua decet, obe-
 „dientia recipere, & quidem in eo
 „sensu, in quo Benedictus XIII. eam
 „recipi declarat, vult & præcipit. Ita
 „sentimus, & ita docere parati sumus. „
 E contrario autem suæ perveracitæ im-
 mortuus est Joannes Vaillada Rupel-
 lensis Ecclesiæ Sub - Cantor. Hic se-
 ptuagenario major in gravem incidit
 morbum, ex cujus novis identidem
 accessionibus vicinam mortem præsen-
 tire videbatur. Stimulatur equidem
 Decani Cathedralis sollicitudo, ut se-
 nem, quem vitalis calor jamjam reli-
 querat, mature, dum per mortis ad-
 huc moram liceret, ad extremam lu-
 ctam accingi curaret: Id tamen eo gra-
 vioris erat molis negotium, quo per-
 tinacius Vaillada hucusque Constitu-
 tionem recipere abnuit, ac interpo-
 sitæ suæ appellationi firmiter insitit.
 In hoc ergo rerum articulo constitu-
 tum admonet Decanus, ne animæ suæ
 rationibus deesset; exiguam enim su-
 peresse sanitatis spem, omnemque tem-
 poris moram saluti obfuturam, præ-
 primis autem necessarium esse, ut Ec-
 clesiæ per debitam obedientiam recon-
 ciliaretur, suamque appellationem re-
 vocaret, utcunque tandem ægritudinis

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVII. fata caderent. Verum Decanus fur-
 A. C. 1725. dis canebat auribus; instat tamen,
 urget, & minatur, se eidem Sacra-
 mentorum copiam denegaturum, ni
 coram Sacratissima Eucharistia profite-
 retur, quod Constitutionem *pure &*
simpliciter recipere, suam appellationem
 retractare, & inobedientiæ suæ veniam
 a Deo & Capitulo Cathedrali petere
 paratus esset. Ejusmodi tamen minis
 hujus Viri submissio nec extorqueri,
 nec obstinatio frangi poterat: Hic au-
 tem, cum cubile, in quo lecto decum-
 bebat, Oratorii Sacristiæ contiguum
 esset, sine omni strepitu clam Sacra-
 menta a quodam suæ factionis Sacer-
 dote recepit, ac die vigesima nona
 Martii extremum obiit diem: Inquiri-
 tur sedulo a Cathedrali Capitulo in
 eum, qui moribundo Sacramenta ad-
 ministrasset: omnis tamen solertia in-
 cassum adhibetur: Sequenti die Ca-
 thedrale Capitulum habito Conventu
 hac super re deliberare cæpit, atque
 unanimi consensu statuit, defunctum
 publicis Capituli precibus, & Sacra
 sepultura esse privandum, & a Rupel-
 lensi Decano ad Lucionense, aliaque
 Capitula, quæ cum Rupellensi precum
 communionem juncta essent, literas esse
 dandas, quibus monerentur, ne pro
 Vaillada Sub - Cantore extra Ecclesiæ
 com-

communione defuncto precum suffragia fierent: His peractis Capitulum ad Fleuryum Foro-Juliensem Episcopum Vailladæ testamentum transmisit, ut ex illo cognoscere posset rationes, ob quas Capitulum defuncto Ecclesiæ preces denegarit: Hujus vero Testamenti fragmentum huc adducere, haud superfluum videtur.

„Quantum ad Constitutionem *Unigenitus* attinet, quamvis graves in ea „difficultates reperiam, declaro tamen, „uti sæpius declaravi, quod si Ecclesia „eam recipit, aut recepit, & ego eam „pure & simpliciter recipiam eo modo, „quo Ecclesia, cujus decisionibus me „omnino subjicio, illam recipi, a me „exigit. Idem quoque sentio de mea „appellatione, quam si Ecclesia rejicit, „ipsum & ego eam revoco, si illam approbat, eidem insisto; semper enim idem „cum Ecclesia mihi sensus est. Hæc „nec plura Ecclesiam hac super re a „me deprecere arbitror: Semper Sacram Sedem ceu unitatis centrum, cui „toto vitæ meæ tempore unitus esse „volo, veneratus sum: semper etiam „Sanctissimum D. N. Papam, ut primum Christi Vicarium meumque „Episcopum utpote Superiorem meum, „cui omnem submissionem & reverentiam juxta S. Canones debeo, pro-

Sæc. XVIII. „funda veneratione prosequor. . . .

A. C. 1725. „Sum quidem ita animo dispositus,

„ut cum omnibus meis Confratribus,

„Venerabilibus Ecclesiæ Cathedralis

„Canonicis arctissimam & summe Chri-

„stianam unionem conservem, nec ullo

„pacto ab ea recedere paratus sim, quia

„tamen ipsi sese a nobis segregant, &

„nuper in Boucheri Decani, & Novæ-

„domus Canonici exequiis, quibus po-

„tissimi interesse recusabant, sese se-

„gregarunt, ut omnia, quæ ipsis fa-

„stidio aut offensionem esse possent, se-

„dulo evitem, ac præcaveam, hinc Te-

„stamenti mei Executoribus in separata

„scheda locum & modum, quo sepul-

„turæ mandari desidero, indicavi. . .

„Si tamen vexandi libido eo usque

„procederet, ut me sepultura Eccle-

„siastica, quam tamen desidero, ex-

„peto & accepto, privare vellent, in

„spiritu humilis patientiæ me omnibus

„injuriis, quibus meum cadaver af-

„ficere voluerint, submitto, ipsisque

„corpus meum relinquo, quod quidem

„Baptismatis, Confirmationis & Sa-

„cerdotii chrismate delibutum sacra-

„tumque, sed per mea delicta magis

„profanatum fuit, quam ipsi profanare

„possent, etsi illud canibus devoran-

„dum objicerent, omnia eis con-

„dono: Rupellis die prima Martii 1724.

„Huic

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„Huic testamento subjungo, quod
 „præfatam Constitutionem *Unigenitus*
 „pure & simpliciter recipiam, sicut
 „eam Benedictus XIII. Papa in suo
 „Brevi die 6. Nov. ad FF. Præd. quod
 „incipit: *Demissas preces &c.* recipit.
 „Circa appellationem vero meam, me
 „sicut semper feci, ita & nunc decla-
 „rationi Regiæ die 4. Aug. 1720. &
 „præcipue Articuli II. subjicio, & me
 „obtemperaturum polliceor omnibus,
 „quæ Sanctitas & Majestas sua dein-
 „ceps hac super re decreverint. Hic
 „est, semperque fuit animi mei sensus,
 „spero autem, hæc Deo ter Optimo
 „grata fore, qui hos sensus, uti credo,
 „mihi inspiravit: *Mihi autem pro mini-
 mo est, ut a vobis Judicer . . . qui au-
 tem judicat me, Dominus est.* Die 1. Jan.
 „1725.„

His omnibus insuper habitis quidam
 Parochus defuncti Nepos Patru sui ca-
 daver lecticæ imponi, atque in suæ Pa-
 rochiæ cæmeterio clam sepeliri curavit.
 Sub idem ferme tempus die prima Maij
 Parisiensis Facultas Theologica P. Ca-
 rolum Mecenati Congregationis Man-
 tuanæ Carmelitam, singulari favore
 honorabat, & ab ipsomet Ludovico XV.
 Galliarum Rege de meliore nota com-
 mendatum suo gremio aggregabat; qui-
 nimo ipsemet Pontifex ad Hispanæ Re-
 ginæ

Sæc. XVIII. ginæ preces huic Patri titulum Episcopalem concessit, ea tamen lege, ut sua studia in præfata Facultate profsequeretur, atque in pœnam suæ quondam interpositæ, revocatæ tamen appellationis declararet, omnes honorum gradus, quos deinceps Appellantes in hac Facultate recepturi essent, omnino nullos irritosque fore.

§. XXV.

Duo Cardinales a Benedicto XIII. creati.

Vix Benedictus XIII. in D. Petri solio collocatus erat, cum Nicolaum Cosciam, Neopolitanum, quem pinguis Beneficiis, dignitatibus & Trajanopolitano Archiepiscopatu jamjam auxerat, etiam Romana Purpura decorare decerneret: Verebatur tamen, ne tam præcipiti Virum, obscuro genere ortum ad supremas honores promovendi ardore Purpuratos ad invidiam provocaret, & sibi met molestiam accerferet: Nec inanis erat metus; quippe Cardinalium non pauci, comperto Pontificis proposito, haud dissimulanter obstitere, & ante Consistorium, in quo hujus Præfulis nominatio fieret, Papam adiere, exponentes, ad tantam dignitatem Viros nonnisi de
Eccle-

Ecclesia optime meritos esse vocandos, Sæc. XVIII.
A. C. 1725.
 horum non paucos esse, qui per pluri-
 mos annos non sine maximis impensis
 insignia Sacræ Sedi obsequia præstitif-
 sent, hunc vero præter generis igno-
 bilitatem meritis pene vacuum esse:
 His tamen reposuit Pontifex, ea, quæ
 de natalium obscuritate vulgarentur,
 a malevolis esse conficta, sibi magis
 cognitam esse illustrissimam hujus Viri
 profapiam, & si is hucusque de Ec-
 clesia bene merendi occasione caruisset,
 ipsam Cardinalitiam dignitatem viam
 pandere, qua deinceps Ecclesiæ & sa-
 cræ Sedi præclara obsequia præstare
 posset: Nihilominus tam vehemens
 erat Cardinalium oppositio, ut Consi-
 storium bina vice in opportunius tem-
 pus differendum esset. Tenax tamen
 propositi Benedictus XIII. ad diem un-
 decimam Junii privatum Cardinalium
 Senatum indixit, in quo denuo, sed
 incassum, Cosciæ electioni Purpurato-
 rum nonnulli obstiterunt, atque inter
 eos præcipue Fabronius palam ac ve-
 hementius adversatus est: Nec tamen a
 sententia dimoveri, Pontifex poterat,
 eoquod suggerentibus ipso Coscia, ejus-
 que Amicis, proprium suum honorem,
 atque auctoritatem in discrimen adduci
 existimaret, si aliorum consiliis contra
 firmum suæ voluntatis propositum ac-
 quie-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725. quiesceret. Igitur præstituta die Co-
 sciam esse Cardinalem enuntiat: mox
 autem varii Cardinales de sellis exur-
 gunt, & ex aula protinus abscedunt, aliis
 qui remanserant, palam reclamantibus,
 aliis vero Pontifici applaudentibus, qui-
 busdam denique omnino tacentibus:
 Præ ceteris vero Josephus Pereira Car-
 dinalis præter omnium expectationem
 Cosciæ vindicem egit, atque in ejus
 favorem perorans, quicquid alii con-
 tra illum proponebant, non minus ner-
 vose quam facunde diluit; sperabat
 enim, se hoc obsequio non modo Co-
 sciæ, sed ipsius etiam Pontificis gra-
 tiam sibi adeo conciliaturum, ut Aulæ
 Lusitanæ, cujus patrocinium sibi de-
 mandatum habebat, negotia eo utilius
 apud Romanam Curiam agere valeret.
 Tantum valuit hujus Cardinalis elo-
 quens vindicatio, ut Cardinalium non
 pauci a suo contradicendi proposito de-
 sisterent: Eapropter Pontifex rupto si-
 lentio præsentibus his verbis allo-
 quebatur: „Ex quo nullis meis meri-
 „tis ex arcano atque inscrutabili Dei
 „consilio ad Apostolicam Sedem vocati
 „suimus, semper eo intenti eramus,
 „ut nos illis, a quibus olim beneficia
 recepimus, gratos exhibeamus. Eo
 „sine nuper Altierium Nepotem Cle-
 „mentis X, a quo Purpuram recepimus.
 „Car-

„Cardinalium Collegio adscriptus, ſæc. XVIII. A. C. 1725.
 „eadem quoque dignitate auximus Pa-
 „trem Pipiam Ordinis Dominicani,
 „quem profefſi ſumus Magiſtrum Gene-
 „ralem; nunc vero Coſciam eadem gra-
 „tia honorare decrevimus, quia fide-
 „lis & conſtans mearum viſitationum,
 „& laborum, ſocius erat, & mecum
 „pondus diei & æſtus tolerabat, „ His
 dictis Pontifex collectis Cardinalium
 ſuffragiis Coſciam Purpura decoravit,
 eique ſequenti die ipſus rubrum Bire-
 tum impoſuit adjecto titulo S. Mariæ
 in Dominica. Eadem die undecima
 Junii Nicolaum de Judice pariter Nea-
 politanum Protonotarium Apoſtolicum,
 & ſacri Palatii Præfectum creavit Car-
 dinalem Diaconum tit. S. Mariæ ad
 Martyres.

§. XXVI.

*Franciſci Aquavivæ Cardinalis
 obitus.*

Hunc annum quatuor Purpurati vitæ Vit. Franc. Aqua t. 1. pag. 326.
 ſuæ ultimum habuere; hos inter Guarn. Vit. Pontif. t. 2. pag. 71.
 primus erat Franciſcus Aquaviva pa-
 tria Neapolitanus, qui anno Chriſti
 milleſimo ſexcentefimo ſexageſimo
 quinto die decima tertia Januarii na-
 tus, Parentes habuit Joſiam Atriæ
 Ducem, & Franciſcam Caracciolam
 Tor-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

Torellæ Principis Filiam. Ab his ergo summa cura & diligentia educatus, unacum lacte ea virtutum semina imbibit, quæ ei in omnem ætatem miro incremento adhæsere. Ut primum e pueris excessit, Neapoli erudito traditur Præceptori, a quo iis imbuitur literis, quibus ætas juvenilis ad humanitatem informari solet. Missus deinde Romam, sub cura Cardinalis Octavii Aquavivæ Patru sui ad Philosophiam animum appulit, eique cito antecellere ceteros ingenii gloria, & progressus felicitate contigit; erat enim in eo præter docilitatem ingenii, fidelis admodum memoria, & nullo labore frangenda studii assiduitas, miraque in disputando subtilitas. Emenso jam Philosophiæ spatio ad Theologiam, divinam disciplinarum Reginam, operam contulit, & tum facile ostendit, fore, ut magno Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ commodo & ornamento futurus esset: Hic virtutum splendor non diu latuit Innocentium XI. Papam, qui juvenem honorariis suis adscripsit Cubiculariis, & paulopost utriusque Signaturæ, ut vocant, referendarium, demumque Ferrariensem Pro-Legatum renuntiavit. Nondum vigesimum quartum ætatis annum compleverat Franciscus, cum jamjam ab Alexandro

xandro VIII. summo Pontifice fidei Quæ-
 fitor in Insulam Melitensem ablegatur,
 & ab ejus Successore Innocentio XII.
 inde revocatus, Clericus dicitur Came-
 ræ Apostolicæ: Cum autem in omni-
 bus hisce officiis majora indies probi-
 tatis & prudentiæ specimina ederet, &
 præter omnes naturæ dotes Principe
 Viro dignas, singulari oris Majestate,
 morumque comitate æqualium ac Su-
 periorum existimationem sibi concilia-
 ret, hinc idem Pontifex illum ad al-
 tiores etiam dignitatum gradus evehere
 decrevit, ac primo in Præfectum sui
 Cubiculi selegit, dein Cardinale Ar-
 chinto Apostolico in Hispaniis Nuntio
 inde reverso, ad hoc præclarum mu-
 nus arduis maxime temporibus illum
 promovit, & Archiepiscopum Laris-
 sæum pronuntiavit: Fluxerat annus
 Christi millesimus septingentesimus,
 quo Franciscus solemnè pompa Madri-
 tum ingressus, cum suum Ministerium
 obire inciperet, Carolum II. Regem
 Catholicum graviter ægrotantem de-
 prendit, quo paulopost mortuo, ex
 testamenti tabulis Philippus Andega-
 venlis Dux in Successorem nominaba-
 tur: Tam vero plurimis, proximisque
 Europæ, Sedisque Apostolicæ discrimi-
 nibus Pontificis animo obversanti-
 bus, Franciscus, qualis quantusque
Hist. Eccles. Tom. LXXII. K Vir

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII.**A. C. 1725.**

Vir esset, luculentis monstrabat argu-
 mentis; cum enim idem Philippus Regni
 Neapolitani, quod Papa sibi feudum
 nomine obnoxium tenet, hæres decla-
 raretur, Aquaviva fidissimus Ecclesiæ
 Administer, ejusque jurium Assertor
 strenuus nomine Pontificis, solemnem
 oppositione jus in hoc Regnum Sedi
 Apostolicæ salvum conservavit: Post-
 quam vero Clemens XI, eundem Du-
 cem pro Hispaniarum Rege agnoverat,
 Aquaviva hujus Principis gratiam sibi
 tam dextre conciliabat, ut eidem per-
 charus illum undique bello agitatam,
 hostiumque insidiis impetum vel in
 Aula vel in castris comes individuus
 sequeretur, atque ad cudendos num-
 mos argenteos suam suppellectilem pro-
 ferendis belli expensis contra Caro-
 lum III. Austriæ Archiducem suppeditaret,
 qua intempestiva liberalitate acrem
 Clementis XI. reprehensionem sibi accersiverat.
 Prævalebant tamen Francisci merita, quæ condigno
 compensaturus præmio Clemens XI.
 eundem sacra Purpura condecorat, Phi-
 lippus vero V. Hispaniarum Rex eidem
 rubrum Biretum imponit. Anno se-
 quenti Aquaviva ex Hispaniis Romam
 reversus, in itinere pretiosa quæque ex
 naufragio amisit. Quod quidem futu-
 rarum ejus calamitatum omen erat in-
 fau-

faustum; quippe Philippi Regis partes, Sæc. XVIII.
 quas semel amplexus erat, constan- A.C. 1725.
 tissime tenens, a Carolo VI. Imperatore
 omnibus suis bonis, & quæ in Neapolis
 Regno possidebat, beneficiis exuitur,
 ejus quoque Frater Joannes Hierony-
 mus Atriæ Dux amplissimo orbatur pa-
 trimonio, & unacum Conjuge & libe-
 ris e Regno discedere, ac aliquamdiu
 sine foco & lare locum, qui profugos
 reciperet, quærere cogitur, & tandem
 Romam desertur. Ibidem insequente
 fortunæ invidia paulopost ex acutissi-
 mis calculi doloribus moritur. Primis
 hisce malis mox deterius successit; ma-
 gnis enim itineribus Romam propera-
 bat Julius Antonius defuncti Ducis fi-
 lius natus major, ut in Francisci Avun-
 culi sui amplexus rueret; ast in medio
 itingere ardentissima febris, & præma-
 tura morte intercipitur. In hac ad-
 versantis fortunæ malevolentia depre-
 hensus Cardinalis, animo suo ad Chri-
 stianæ sapientiæ leges jam instructo,
 firmatoque cunctas calamitates, sub
 quarum ruinis alter Francisco infirmior
 expirasset, heroica confidentia despi-
 ciebat, melioris fortunæ spe erectus:
 Id enim benignum Numen providet,
 ut, ubicunque calamitas, illic etiam
 plerumque levamen præsto sit: Neque
 id Francisco tunc ex toto defuit; quo-
 minus

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

minus enim sperabat, eo gratius accidit, ut ab eodem Rege Catholico primum Regni Hispanici Protector, & postea Regius in Urbe Administer diceretur. Crescente autem ad meritum mensuram Philippi Regis benevolentia, cuncti Aquavivani Principes, jure indigenatus in eos translato ad omnes Magistratus Regio decreto capaces declarantur, & Franciscus ab eodem Rege ad Parmensem Aulam dæcernitur, ut Elisabetham Farnesiam, novam Philippi Regis Sponsam salutareret, dein in Hispaniam deduceret, & demum solemnî connubio interesset. Magna inde Francisco & gratiæ, & beneficiorum accessio obvenit; quippe a Rege ad Toletanum Archiepiscopatum nominabatur, quam tamen ipse dignitatem recusans, annua pensione auctus est: Minus vero Romæ sibi benevolum experiebatur Pontificem, eoquod Alberonium Purpura decorari importunius postularet, & nimis acriter Belugam ab hac dignitate præpedire niteretur. Nihilominus se oppido beneficium exhibuit erga exulem Angliæ Regem, quem *Prætendentem* vocant, quem non modo multis iisque pretiosissimis honorabat donis, sed & per Althanium & Judiceum Cardinales deplorandam hujus Principis conditionem

nem perimpense Cæsari commendabat, Sæc. XVIII.
 Eo etiam sine sibi Cæsarei Oratoris A. C. 1725.
 benevolentiam conciliare studuit; brevi
 tamen inter eos officiosæ societatis ne-
 xus intercidebatur; cum enim Franciscus
 foribus Basilicæ ad S. Mariam Majo-
 rem Hispani Regis insignia affigi cu-
 raret, Althanius Cardinalis, utpote
 Cæsaris Legatus totis viribus se op-
 posuit, inde Imperatoris jura violari
 caussatus. Mortuo autem Clemente XI.
 & Innocentio XIII. ad D. Petri Cathe-
 dram evecto hæc lis composita est, &
 Franciscus Benedicto XIII. percharus
 Sabinensem Episcopatum ab eodem ob-
 tinuit, simul titulum S. Cæcilie reti-
 nere permissus, eoquod hanc Ecclesiam
 magnifico sumptu reparatam eximiis
 auxisset ornamentis. Tandem vero
 podagræ doloribus pene consumptus,
 atque ab ipsomet Pontifice precibus,
 fervidisque ad Deum Sanctosque Pa-
 tronos suspiriis, & Apostolica bene-
 dictione probe munitus, die octava
 Januarii sexagenarius decessit, sepul-
 tus in Ecclesia sua titulari ad S. Cæ-
 ciliam.

§. XXVII.

*Cardinalis Christiani Augusti Saxo-
 Citiensis Ducis decessus.*

K 3

Aqua-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Lambert.

men. tom. 3.

Coulin. Rom.

Sauct. p. 43.

Vit. Card.

t. I. p. 331.

Aquavivam pari fato sequebatur Christianus Augustus Citii in Saxonia (*) Parentibus Mauritio Saxonix Duce & Dorothea Saxo - Vinariensi An. 1666. die nona Decembris natus. Horum singulari cura juvenis hic Princeps liberaliter educatus, idoneis vitæ morumque Magistris traditur, a quibus non minus bene vivere, quam ornate loqui didicit, idque studio atque exercitatione assecutus est, ut jam adolescens latina, Gallica, & Italica lingua haud imperite uteretur: Ita cum ad virtutum artiumque, quæ tanti Principis dignitatem exornarent, perfectionem magis magisque identidem contenderet, id unice dolendum erat, quod Lutheri erroribus ab ipsis incunabulis imbutus esset, non tam voluntatis pravitate, quam natalium vitio & culpa Parentum, qui puerum in nova secta institui, solertius curabant. Nonum ætatis annum Christianus attigerat, cum Matrem suam insperato morbo oppressam, & annum decimum quintum ingressus Mauritium Parentem suum amitteret. Jam tunc inter paternos parietes hæere generosum tædebat Principem, ad altiora indole illum pertrahente, bellicasque nescio

quas

(*) Sachsen Zeitg.

quas spes ac glorias eminus ostentante: **Sæc. XVIII.**
 Igitur Joannem Georgium III. Saxoniae **A. C. 1725.**
 Electorem secutus, ad Rhenum, ubi
 tum bellum fervebat, concessit, ac mi-
 litaribus disciplinis probe instructus in-
 defessi laboris, animique ad quævis
 pericula imperterriti argumenta dedit.
 Ut vero ingenio, ac pietatis studio ne-
 mini cesserat, ita in armis diutius tra-
 ctandis animæ periculum, & in sua
 secta errorem brevi agnovit; relicto
 igitur baltheo sacræ militiæ nomen, &
 suavissimo Ecclesiæ Catholicæ jugo cer-
 vicem subdere statuit. Eo fine Pari-
 sios contendit, ibidemque sacri Codi-
 cis, sanctorumque Patrum lectioni assi-
 due insistens, ejuratis Lutheri errori-
 bus, in quibus natus & juxta Paren-
 tum institutionem educatus erat, fidem
 Catholicam mirifico animi Zelo am-
 plexatus est, primus inter Saxoniae
 Principes, qui ad Romanæ Ecclesiæ
 gremium feliciter reversi sunt. Pau-
 lopost Parisiis Romam profectus habi-
 tum Clericalem induit. Vix calamo
 exprimi potest solatium, gaudiumque,
 quo Innocentius XII. Pontifex Christia-
 num nobilissimum Catholicæ Ecclesiæ
 membrum expansis protinus ulnis am-
 plexatus est, maximis in eum digni-
 tatibus cumulatissime congestis. Non
 minus hujus Principis reconciliatio

Sæc. XVIII. grata accidit Leopoldo Imperatori, qui
A. C. 1725. Juvenem studio Religionis & morum
 integritate inclytum omnibus benevo-
 lentiae officiis largiter prosequabatur,
 cumque Christianus ex Clementis XI.
 munificentia indultum recepisset, vi-
 cujus ad quasvis dignitates Ecclesiasti-
 cas in Germania obtinendas habilis
 redderetur, die secunda Maij An. 1694.
 Roma profectus, Coloniensem, Mona-
 steriensem, Salisburgensem & Eista-
 diensem Canonicatus aliis post alia
 temporibus obtinuit. Sequenti autem
 anno Metropolitana Coloniensis Ecclesia
 illum in summum Præpositum coopta-
 vit, ubi etiam die decima nona Maij
 Neo-Mystra rem Divinam solemnè pom-
 pa peregit. Inde vero Viennam ap-
 pulsus, mortuo Jaurinensi Episcopo a
 Leopoldo Cæsare ad hanc Ecclesiam
 nominabatur, ubi etiam vigilantissimi
 Pastoris partes omnes implevit, restau-
 ratisque primum Templis, dein Cleri
 populique mores verbo & exemplo ad
 meliorem frugem deduxit, ac denique
 fidem Catholicam indefesso studio latius
 propagavit. Postquam vero Diæcesin
 suam tam paterna sollicitudine rexerat,
 vel maxime suorum & domesticorum
 curam habere cæpit. Nec suo Zelo
 optatus deerat successus; suis enim
 monitis, propositisque rationum mo-
 mentis

mentis tantum effecerat, ut Frideri-
 cum Augustum Saxoniae Electorem ac
 postea Poloniae Regem pariter ad eju-
 randam Lutheri sectam induceret, nil-
 que eorum praetermitteret, ut ejus
 quoque Filius in vera fide instituere-
 tur: Sacris hisce spoliis dives e Po-
 lonia in Saxoniam reversus, necnon
 supremi Cancellarii munere auctus,
 Joannem Georgium Weiffenfelsæ Du-
 cem nomine Electoris Saxonici Lipsiæ
 a Tutorum potestate exemit, ac Re-
 gimini aptum declaravit: Tot merito-
 rum fama illustris Leopoldo Cæsari ab
 intimis consiliis, & post Collonizii obi-
 tum Archiepiscopus Strigoniensis, Pri-
 mas, & Hungariae Cancellarius nomi-
 nabatur, haud poenitendo ejus selectu;
 Imperator enim perspecta hujus Præ-
 sulis prudentia, raraque in animis con-
 cilandis dexteritate Archiepiscopum
 Coloniam ablegavit, ut Electorem a
 Gallorum partibus abstraheret, & Ca-
 nonicos in Electoris gratiam revoca-
 ret: Obstitit tamen hisce conatibus per-
 tinacia Coloniensis Archipræsulis, qui
 datis ad Cæsarem literis Christianum
 de collusionione cum Canonicis, & nescio
 quibus aliis de culpis immerito incusa-
 bat, tantosque concitabat motus, ut
 parum abesset, quin a Gallico Excur-
 sore La Croix captus hostibus tradere-
 tur:

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

tur: Erat tamen dignissimi hujus Præfulis probitas magis perspecta æquissimo Imperatori Josepho I. qui eidem plenam concessit potestatem, ut Cæsaris nomine fidelitatis homagium a Colonienfibus exciperet, quo munere functus a Clemente XI. Papa Romana Purpura primus omnium e Saxonum Ducibus honoratus est, obtenta etiam facultate, ut Jaurinensem Episcopatum per decem annos unacum Strigoniensi Archiepiscopatu retinere posset. Nec vicissim tot beneficiorum immemor Christianus, totum se pro Sedis Apostolicæ obsequio devovit, cumque sub idem ferme tempus Imperator Josephus occasione primarum precum cum Papa collideretur, Christianus Cardinalis nulli pepercit labori, ut hæc res feliciter componeretur: Nec suo conatui ablusit eventus; Clemens enim hujus Cardinalis rationibus potissimum persuasus, post Caroli VI. Imperatoris inaugurationem huic controversiæ finem imposuit, die decima tertia Martii Anno 1714. ad Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum datis hisce literis:

Dilecti

*Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„Cum jam Benedicente Domino difficultates illæ, propter quas dudum imperiales preces, quas primarias vocant, minime admittendas esse ediximus, sublatae prorsus remanserint, nullumque propterea Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo Romanorum Regi in Imperatorem Electo Pontificiæ benevolentiae argumentum deesse voluerimus, ut totum, Dilecti Filii, vobis nunc notum, & perspetum esse æquum ducimus, simul vos admonere, ut eas preces, quas de cætero a dicto Carolo Rege sive vobis sive aliis quibusvis Collatoribus, seu collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum per Sacrum Romanum Imperium ubilibet existentium pro beneficiorum hujusmodi, cum primum illa vacaverint, collatione servatis tamen restrictionibus, & exceptionibus solitis facienda porrigi, seu exhiberi contigerit, omnino recipiendas, atque admittendas esse noscatis.

„Præterea, cum nobis innotuerit, etiam clarissimæ memoriæ Josepho, dum vixit, eorundem Romanorum
„Regi

Sæc. XVIII

A. C. 1725

„Regi in Imperatorem Electo prædicti
 „Caroli Regis Germano Fratri animum
 „non defuisse ad rem totam explendam,
 „nisi immaturus illius obitus cuncta
 „turbasset, adeoque per ipsum non
 „stetisse, quo minus eædem difficulta-
 „tes pœnitus tollerentur; quemadmo-
 „dum ex authenticis ad nos a latis do-
 „cumentis liquido constat: idcirco e-
 „tiam similes primarias preces ab eo-
 „dem Josepho Rege, dum viveret, ex-
 „peditas, quæ vobis hæctenus exhi-
 „bitæ fuerunt, seu imposterum exhi-
 „bebuntur, suum integrum ac plenum
 „effectum habere non abnuimus: citra
 „illorum præjudicium, quos in posses-
 „sione Beneficiorum sive a Nobis, sive
 „a quibusvis Ordinariis collatoribus,
 „seu collatricibus collatorum, exclusis
 „prorsus & nullatenus ad illam admif-
 „sis iis, in quorum favorem Preces
 „prædictæ pro eisdem Beneficiis a me-
 „morato Josepho Rege expeditæ fue-
 „runt, reperiri contigerit, quibus ta-
 „men, sicut præmittitur exclusis, Be-
 „neficia primo vacatura conferri debe-
 „bunt. Hæc dum vobis Dilecti Filii,
 „significamus, minime veremur, quin
 „illa pro filiali vestro in Nos studio
 „debitæ executioni demandatari sitis,
 „vobisque interim cœlestium charisma-
 „tum incrementa ex animo a Deo pre-
 „camur,

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

„camur, ac perpetuum paternæ cha-
 „ritatis nostræ pignus Apostolicam Be-
 „nedictionem peramanter impertimur;
 „volumus autem, ut præsentium lite-
 „rarum transumptis seu exemplis e-
 „tiam impressis manu alicujus Notarii
 „publici subscriptis, & sigillo Personæ
 „in Ecclesiastica dignitate constitutæ
 „munitis eadem prorsus fides in judi-
 „cio, & extra illud habeatur, quæ
 „haberetur, ipsis præsentibus si fuerint
 „exhibitæ, vel ostensæ.,

Interim vero Cardinalis Viennam
 delatus, Anno 1708, die vigesima ter-
 tia Aprilis auspiciatissimis nuptiis inter
 Carolum III. Hispaniæ Regem & Eli-
 sabetham Christinam Guelferbytanam
 Principem contractis bene precabatur;
 fors etiam ei accidit, ut sequenti die
 Mariam Josepham Imperatoris Filiam,
 postea Poloniæ Reginam sacro Chrys-
 mate perungeret, ac denique solemni-
 bus sponalibus Mariam Annam Au-
 striacam Joanni I. Lusitaniæ Regi, Jo-
 sepho Imperatore pronubum agente,
 die nona Julii Viennæ jungeret. Per-
 actis hæc solemniis Posonium ad Re-
 gni comitia contendit, ubi pro tuenda
 fide Catholica sese ceu aheneum mu-
 rum Protestantium insultibus objecta-
 bat, motusque intestinos sedare nite-
 batur: Inde Dresdam venit, ac in
 Regio

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

~~Capitulum~~

Regio Sacello non minori pompa, quam pietate sacras obibat functiones, & feliciter composita, quæ inter Poloniæ Regem, ejusque Fratrem exorta erat, contentione, Viennam reversus est, ubi die 22. Maij 1712. Carolo Imperatori Regium Hungariæ diadema imposuit, altero autem anno Augustissimam Imperatricem eodem in Hungariæ solio ritu solemniter collocavit. Exeunte demum eodem anno, cum præmatura morte Fridericus Henricus Dux ejus Frater natus minimus, eriperetur, relicto Filio Mauritio Adolpho tum nonnisi undecim annos nato, Cardinalis, ut tenerum hunc surculum ex horrida errorum labyrintho, ad salvificam Catholicæ veritatis semitam reduceret, in primis curis habebat: Eo fine consultatione crebra cum Citiensi Duce ejus Fratrem natum majorem desuper habita, doctissimum Virum Röderum unacum P. Francisco Henrico Schmelzer tanquam Consiliarios ad Citiensem Aulam ablegavit, tam prospero successu, ut primo Dux in Doxanensi Præmonstratensium Monasterio in Bohemia, & postea ejus Nepos Mauritius Adolphus Marienthalii relicto Lutheri signis ad Catholica castra transferent. Eodem Anno 1716. die prima Octobris Eminentissimus Purpuratus ad

ad comitia Ratisbonensia Cæsaris Plenipotentiarius ablegatur, qualem autem se in hoc munere alea pleno gesserit, publica Imperii monumenta loquuntur; ea enim, qua præditus erat, morum comitate, oris Majestate & prudentia, in omnium animos sese facile insinuabat, atque inter discordantes sæpe opiniones pacem & concordiam ita procurabat, ut Ecclesiæ ac Imperii juribus nil decederet, nec ullum Catholicæ Religioni inferretur damnum: Non tamen propterea odium declinare poterat quorundam ex Protestantibus, qui, cum in moribus & agendi ratione, quod fugillarent, nil haberent, ipsum nomen criminabantur, haud tolerantibus, ut se, qualis tamen erat, Cardinalem *S. Romanæ Ecclesiæ* in Imperii decretis subscriberet: huic quidem nodo quamvis cuneum invenisset Eminentissimi Cardinalis moderatio, Protestantes tamen utpote qui ad sua postulata Catholicos semper pronos exoptare, his vero antiqua sua jura invidere solent, identidem importunis querelis suis huic Purpurato obstrepebant, eo temeritatis etiam prolapsi, ut die 13. Junii 1721. a Cæsare postularent, ne Virum Ecclesiastica dignitate conspicuum deinceps Imperialis Camerae judicio præficeret,

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII.

A. C. 175.

ficeret, quod tamen ab æquissimo Imperatore obtinere, haud poterant. Paulus post Christianus meritis plenus, & viribus assiduo labore confectus, in gravem incidit morbum, quo indies aucto, die vigesima tertia Augusti Ratisbonæ anno ætatis quinquagesimo nono pie in Domino obiit. Cadaver ejus Strigonium die vigesima tertia Septembris translatum ibidem in Ecclesia Cathedrali honorifice sepultum quiescit. Scripsit hæredem omnium suorum bonorum Principem Neostadiensem, qui tamen potissimam eorum partem in Monasteria, & defuncti famulos erogavit. Ceterum hic Cardinalis Princeps erat vix ulli nostro ævo sapientia, rerumque agendarum dexteritate ac solertia secundus, clarissimo virtutum splendore insignis, facilis alloquio, gratus aspectu, in verbis oppido gravis, in operibus efficax, & Religionis Zelo eminens. Habuit in Plenipotentiarum officio Successorem Frobenium Principem de Fürstenberg, in Archiepiscopatu Strigonienensi Comitem Emericum Esterhassium, & in Jaurinensi Episcopatu Comitem de Sinzendorff.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

*Franciscus Judice Cardinalis
mortuus.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Eundem annum vitæ suæ funestum habuit Franciscus de Judice patria Neapolitanus, quem Nicolaus Giovenazzi Dux ac Cellamaræ Princeps ex Hyppolita Polagona Anno 1647. die septima Decembris susceperat. Puer adhuc in patria humanioribus literis vacabat, adolescens vero Romam profectus, sacratioribus disciplinis totum sese impendebat: Pontificiorum dein jurium, quorum cognitionem oppido profundam hauserat, acerrimus existit propugnator, unde a Clemente IX. Protonotariis Apostolicis accensus, a Clemente X. Pro - Legatus Bononiensis, Fani Governator, ac tandem Cameræ Apostolicæ Clericus nominatus est. Cuncta hæc munia Franciscus tanta æquitatis laude obibat, ut virtutes, quibus eminuit, unice in consilio habuisse, nec præter illarum præscriptum quicquam unquam egisse videretur. Horum itaque meritorum suffragio ad preces Caroli II. Regis Catholici sacro Purpuratorum Collegio adscribi promeritus est, non ut is a Purpura splendorem, sed ut Purpura
Hist. Eccles. Tom. LXXII. L pura

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

pura a virtutum splendore novum gloriae additamentum reciperet. Ejusdem Regis munificentia pluribus cumulabatur beneficiis, ac sacratiori Senatui adscriptus, summa Regni negotia in Curia Romana procurabat, nunquam de honoris dignitatisque excellentia lætus, nisi dum exin occasionem nactus est, qua animi sui dotes in Sedis Apostolicæ, Regisque sui obsequio utiliter impendere posset. Mortuo autem hoc Rege Philippus V. Franciscum, cujus fidelitatem in adversis inviolatam noverat, Siciliæ Pro-Regem constituit; quocirca die vigesima Decembris Anno 1701. Roma profectus, Panormum appulit, mitique suo, quo instructus erat, ingenio, Siculas gentes tam feliciter rexit, ut inter bellorum nubila, & crebras præcipue Neapolitanorum seditiones incolæ in Regis sui fide immoti persisterent: Postea Montis Regalis Archiepiscopus in Sicilia nuncupatur, ubi Pro-Regis munus Marchioni Bedmaro cessit, ac demum Romam reversus est: Cæsareis autem Siciliam occupantibus, ipse omnibus suis reditibus spoliatur, eoquod totis viribus obstitisset, ne Carolus III. pro Hispaniarum Rege a Papa agnosceretur. E contrario Philippus Hispaniæ Rex in damni compensationem & fidelitatis præ-

præmium Franciscum Indiarum Pa-
 triarchatu decoravit, ipse autem tæ-
 dio affectus, relicta Roma Genuam,
 & postea in Hispaniam secessit, summi
 Inquisitoris munere cohonestatus: Pau-
 lopost a Philippo V. ad componenda
 quædam dissidia ad Franciæ Regem
 Legatus decernitur, quo munere tam
 prospere functus est, ut non modo am-
 bos hosce Reges conciliaret, sed &
 Ludovicum XV. eo induceret, ut au-
 xiliares copias contra Catalaunos Cæ-
 sareis addictos submitteret. Quoniam
 vero Principum favor, & Clientum
 felicitas vix unquam adversus æmu-
 lorum invidiam satis, diuque tuta est,
 ita Franciscus e Galliis in Hispaniam
 reversus, vix non livoris, ac Regiæ
 indignationis victima cecidit; post-
 quam enim Elisabetha Farnesia Catho-
 lici Regis secunda Uxor ex Italia in
 Hispaniam pervenerat, Itali partim
 eam comitantes, partim jam antea
 Madriti degentes, nescio quibus arti-
 bus Regis gratiam sibi conciliabant,
 unde affectu velut in plures diviso re-
 missior erat Regis propensio in solum
 Franciscum, cui etiam non parum ob-
 fuit singularis gratia, qua Rex Julium
 Alberonium Cardinalem honorabat.
 Accessit demum ad infelicitatis cumu-
 lum, quod Franciscus pro Inquisitoris

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII. munere die 30. Julii 1714. decretum
A. C. 1725. ediderit, quo varios libellos graviffi-
 ma censura castigavit, quia in illis
 Principum sæcularium potestas ita ef-
 ferri videbatur, ut Pontificiæ auctori-
 tati multum detraheretur. Inde ergo
 captata occasione Francisci Cardinalis
 æmuli eundem Philippo Regi adeo
 exosum reddebant, ut Regno abesse
 juberetur, donec hoc decretum revo-
 casset. Ast id a Viro propositi sui te-
 nacissimo impetrari haud poterat; ejus
 tamen sagacitas suppeditabat media,
 quibus denuo Regis gratiam recupe-
 rare, ac liberum ad Aulam accessum
 obtinere posset, sponte abdicato Inqui-
 sitoris munere. Hoc paulopost eidem
 rursus collato, insuper Rex Asturiæ
 Principem Francisco instituendum tra-
 didit, illumque omnium arcanorum
 arbitrum adhibuit: Attamen hæc ipsa
 secundæ fortunæ aurâ, consueto hu-
 manæ felicitatis vitio, haud diu spirâ-
 bat; Alberonius enim, cum in Regis
 gratia rivalem haud pateretur, totus
 in eo erat, ut sinistram de Francisco
 opinionem Regi instillaret, eumque
 de gubernaculis dejiceret: Suggerebat
 igitur, Franciscum officiorum copia
 obrui, singulis ergo satisfaciendo im-
 parem, in quolibet deficere, non sine
 luculento Regii Principis ac Reipublicæ
 detri-

detrimento: Id sibi facile persuasum habebat Philippus, mox igitur Francisco præcepit significari, ut vel Inquisitoris, vel Moderatoris Regii officio cederet: Nuntium Cardinalis non minori verborum humanitate, quam tranquillitate animi excepit, & utroque simul munere se abdicavit, ac demum insalutato Rege ex Hispaniis Genuam contendit, ubi ad dissidia, quæ inter utramque Aulam tum exorta erant componenda Taurinum proficisci, a Papa jussus est. Defuit quidem conatui successus; Franciscus tamen Romam reversus, perhonorifice excipitur, & primum Congregationis S. Officii Secretarius, postea Præfectus Congregationis de Immunitate Ecclesiastica, ac tandem Prænestinus Episcopus renuntiatur. Nondum tamen per ejus absentiam deferbuit concepta Hispani Regis indignatio; ejus enim jussu Cardinalis Aquaviva Francisco significabat, Regem velle, ut Palatio, quod Hispani domini esset, excederet, & Regia insignia ex ædium suarum foribus abstraheret: Paruit Cardinalis, & relictis Hispanorum studiis Caroli VI. Imperatoris partes eo pronius suscepit, quo æquiores Regem Neapolitano in solio regnantem Neapolitanus ipsemet intuebatur: Exin igitur sacratori Cæsaris

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

faris Senatui adlectus, omnibus, quibus antea spoliabatur, redditibus restituitur, oblati a Cæsare in damni compensationem quadraginta aureorum millibus, quam tamen pecuniæ summam ad Imperatorem remisit, paulo post Cæsareus apud Pontificis Aulam Orator & Consiliarius renunciatus. Postquam vero Comes de Daun Neapolitani Regni Pro-Rex Romam venerat, Franciscus eidem obviam processit, ejusque Conjugi epistolam ab ipsa S. Theresia exaratam, unacum ejusdem Divæ ossibus dono dedit: demum vero relicto Prænestino Episcopatu ad Tusculanam Ecclesiam vocatus, postquam Urfinus S. Collegii Decanus D. Petri cathedram conscenderat, ipse ad Decanatum, necnon ad Ostiensem & Veliternum Episcopatum pervenit: paulo post tamen gravi morbo correptus, die decima Octobris anno ætatis septuagesimo octavo decessit. Corpus illius ea pompa, quæ S. Collegii Decanis deferri solet, expositum fuit in Ecclesia S. Marcelli, postea Neapolim translatum, ubi in Ecclesia Patrum Carmelitarum in gentis suæ sepulcro quiescit. Princeps erat magnanimus, prudens, in rebus politicis versatissimus, semper sibi constans, & nec in adversis dejectus, nec in prosperis elatus,

latus, in omnibus rebus oppido splen-
didus, adeo, ut dum Benedictus XIII. Sæc. XVIII.
A. C. 1725.
edito decreto Purpuratis profusorem
pompam & luxum inhiheret, ipse con-
suetum apparatus imminuere detrecta-
ret, caussatus, se natalium sorte Prin-
cipem esse, proin a pompa suæ digni-
tati congrua, qua per triginta quinque
Cardinalatus sui annos usus esset, nil
se remittere posse,

§. XXIX.

*Josephi Valemani Cardinalis
Obitus.*

Sub idem ferme tempus pari fato vi-
vis ereptus est Josephus Valema-
nus patria Fabrianensis, qui ex nobi-
lissimis Parentibus ortus, a teneris
annis humaniores disciplinas studiose
addidit: postea Romam delatus,
severioribus scientiis animum adjecit,
atque in Universitate Maceratensi Ju-
risprudentiæ studio incubuit, Docto-
ratus laurea decoratus. Romam re-
dux, inter Aulicos Æmilii Cardinalis
de Altieriis recipitur, prospera plane
forte; hoc enim ad supremi Apostola-
tus dignitatem evocato, Valemanus
primo Cubicularius ac Pincerna Pon-
tificius, postea Vaticanæ Ecclesiæ Ca-
nonicus, & Tabularii Custos in arce

Sæc. XVIII.
A. C 1725

S. Angeli renuntiatur, pluribusque aliis beneficiis largiter augetur, non tam Pontificis beneficentia, quam proprii meriti excellentia; egregias enim virtutes scientiis jungens, summam in proferendis sententiis gravitatem, incorruptumque in omnibus suis actionibus candorem, animi celsitudinem, ac judicii profunditatem demonstrabat. Mortuo Clemente X. ab ejus Successore Innocentio XI. Congregationibus Rituum atque Immunitatis a secretis esse jubetur: Verum jam tum ad altiora destinatus videbatur; aucta enim nominis sui fama Clemens XI. solam virtutem suo dignatus suffragio Valemanum Congregationi disciplinæ Regularium dixit Secretarium, eumque Archiepiscopatus Atheniensis titulo & Romana Purpura, necnon Pontificii Palatii Præfectura decoravit. Eminuit hic Cardinalis præ ceteris morum comitate, qua sincero affectu cunctos ita complectebatur, ut nullius parti studium suum addiceret, omnibus tamen benefacere studeret, reciproca æstimatione non modo a populo, sed & a Proceribus & ipso Pontifice honoratus. Innocentio XIII. autem e vivis erepto non pauci ex Cardinalibus sua suffragia in Valemanum contulere; fors tamen in Ursinium Cardinalem ceci-

cecidit, & Valemanus paulopost se- Sæc. XVIII,
 ptuagesimo octavo ætatis suæ anno die A. C. 1725.
 decima quinta Decembris meritis ple-
 nus obiit, sepultus in Ecclesia SS. duo-
 decim Apostolorum.

§. XXX.

*Continuata dissensio inter Calvinistas
 Helvetios circa formulam sub-
 scriptionis.*

Jam supra mentionem fecimus de dis- Vid. supra
 sidiis, quæ inter Calvinistas Helve- t. 71. p. 428.
 tios exarsere, inde exorta, quod Ti- Hotting.
 gurini & Bernenses Prædicantibus & Hist. Helvet.
 Professoribus quamdam fidei formulam t. 4. l. 8.
 a Joanne Heideggero fabricatam, circa p. 276.
 articulos de Prædestinatione, Cæna
 &c. præscriberent, eamque a cunctis
 juramento, proprioque chirographo
 firmari exigent. Huic *consensus Hel-*
vetici, ut vocant, *formulæ* sese acriter
 opponebant non pauci, atque inter eos
 hoc anno Abbatiscellenses, Basileen-
 ses & Neocomenses Prædicantes rem suf-
 fragiis decidi petebant: ast conspirante
 majori eorum parte eadem hæc for-
 mula penitus abrogata est. Grifones
 quoque habito conciliabulo declara-
 runt, se libros duntaxat symbolicos
 acceptare, & quemlibet Pastorem, si

Sæc. XVII. ad hoc munus eligeretur, obstrictum
 A. C. 1725. esse, ut juret se Helveticam fidei con-
 fessionem, ceterosque libros Symboli-
 cos retenturum. Ex adverso autem
 Lausanensis Academia, in scio Magi-
 stratu, formulam libro subscriptionum
 inseruit; quo comperto Bernensis Se-
 natus hunc librum sibi tradi petiit il-
 lumque retinuit, ejus vero loco die
 prima Septembris ad Lausanenses Co-
 dicem submitit, cui hic erat titulus:
*Formula consensus Ecclesiarum Helveticarum
 circa doctrinam de gratia universali
 & annexa capita. Sequitur Sacramentum
 consociationis dictum, cum duplici supremi
 Magistratus explicatione tam in formulam
 ipsam, quam in Sacramentum, secundum
 quas explicationes quicumque ad SS. Mini-
 sterii vel Scholarum munus adspirant, nu-
 DE ET SIMPLICITER formulæ subscribere,
 & Sacramentum dicere teneatur: For-
 mula &c.* Verum hoc quoque præ-
 cepto nec unitas conciliata, nec sub-
 jectio est procurata; quidam enim do-
 ctrinam in hac formula contentam ad-
 optabant, quamvis eidem subscribere
 constanter renuerent: Alii vero nec
 doctrinæ accesserunt, nec subscribere;
 hujus autem pertinaciæ causam Hot-
 tingerus in Pietismum latius grassan-
 tem refundit, quorum potissimi causa-
 bantur, hac formula, ejusque sub-
 scri-

scriptione concordiam inter Lutheranos & Calvinistas adeo non promoveri, ut etiam difficilior redderetur. Ea propter Lutherani præcipue Amsteldamenses, Helmstadienses, Hamburgenses & Rostochienses editis scriptis oppido amarulentis hanc formulam fæde prosciderunt, & nequidem cum illis Prædicantibus Calvinistis, qui pariter hanc formulam repudiarunt, amicitiam inire voluerunt, omnino postulantes, ut si hi cum Lutheranis unionem facere vellent, non modo formulam, sed etiam Dordracensis Concilii Canones a sua Ecclesia eliminarent. Ita nempe meditata inter Sectarios unio semper extitit fomes majoris dissensionis & nequidem inter eos ejusmodi unitas extorqueri potuit, quæ in sinu suo membra fovet & pro fratribus agnoscere vult etiam illos, qui a professione fidei suæ in pluribus articulis dissident, & duntaxat in hoc conspirant, quod Papam pro Antichristo, & Ecclesiam Catholicam pro meretrice Babylonica habeant. Elegans profecto Ecclesiæ ac Doctrinæ unitas! Magis adhuc ridiculum est, quod illi, qui Lutheranos ad concordiam fraternam, nescio quibus mediis adstringere nitebantur, Catholicos odio plusquam vatiniiano semper infectati sint, eisque sua

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII. sua jura & possessiones, qua via possent, eripere tentarint. **A. C. 1725.** Luculentum hujus malevolentiae paradigma suppeditat Araviensis Conventus; ibidem enim anno hujus sæculi duodecimo, & postea in Coaventu Badensi utrinque conventum erat, ut cuncta in nupero bello Catholicis & Abbati Sargallensi erepta elapso decennio restituerentur; nihilominus tamen Calvinistæ hæc bona non modo ulterius usurparunt, sed etiam hoc anno in Conventu Araviensi decrevere, ut quicunque ditiones & urbes nupero bello ereptas Catholicis restitui peteret, aut de eorum restitutione mentionem ingereret, ceu publicæ pacis, ac tranquillitatis perturbator plecteretur. Ceterum tantum fervebat Lutheranos inter & Calvinistas odium, tantaque in doctrina dissensio, ut Fridericus Borussiae Rex severe inhiberet, ne quis suorum subditorum Wittenbergæ studiis operam navaret.

§. XXXI.

*Cornelius Barchmanus a Canonicis
in Ultrajedensẽ Archiepiscopum electus.*

*Binner Apparat. t. 10.
pag. 529.
Vid. supra
t. 71. p. 769.*

Quamvis Benedictus XIII. Pontifex
Cornelii Steenhovii electionem
irris

irritam declarasset, & Canonicos ab Ecclesia per censuram removisset, nihilominus hi sui Capituli jura pertinacius, quam æquius tueri statuebant; & consueto obedientiam eludendi remedio usi, a summi Pontificis sententia ad universale Concilium provocarunt: Sperabatur schismatis hujus eo celerior exitus, quo viciniorem mortis horam præfagebat perniciosa Steenhovii Archiepiscopi infirmitas: At ille ad aliorum monita surdus, die trigesima Martii pro se, suoque Capitulo pariter interposita ad generale Concilium appellatione, die tertia Aprilis in sua pervicacia decessit. Paulopost Canonici insuperhabita Pontificis censura, novi Archiepiscopi electionem ad diem decimam quintam Maij indicunt; & præstituta die Cornelium Joannem Barchmanum Wuyterum in Archiepiscopum eligunt. Hic sui electionem mox confirmari, palliumque sibi concedi, a Papa efflagitat, nullo autem responso accepto, preces suas iteratis literis ingeminat, non alio tamen successu, nisi quod Benedictus XIII. hanc quoque electionem omnino irritam declararet, & Canonicos rursus anathematis poenæ subiceret: Nec hac severitate aut terrore aut emendati Canonici, de novo suas

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. suas appellationes, declarationesque
A. C. 1725. typis vulgabant.

§. XXXII.

*Diversæ Constitutiones Benedi-
dicti XIII. Papæ.*

In primis curis habebat piissimus Pontifex, ut lapsam Ecclesiæ disciplinam juxta Tridentinæ Synodi præscriptum restauraret, quocirca saluberrimas leges identidem evulgavit, & quidem die prima Maij voluit, ut Parochis quarta funeralis pro iis, qui in Ecclesiis quorumcunque Regularium de cetero sepelirentur, persolveretur, quia *exemptio a solutione hujus quartæ Ordinibus Regularibus antea a Pontificibus concessa, tum in maximum vergeret Parochorum præjudicium, partim propter multiplicationem Conventuum, partim propter auctam devotionem & consuetudinem fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis Regularium*: Die autem sexta ejusdem Mensis Abbatibus Regularibus perpetuis injunxit, ut si ab uno Monasterio ad Regimen alterius transferrentur, ab Episcopo, in cujus Diæcesi tale Monasterium situm esset, infra annum a die electionis Benedictionem Episcopalem susciperent, vel saltem eam ter ab ipsis Episcopis humiliter postularent, secus

secus ab officio per annum ipso jure Sæc. XVIII.
suspensos fore. Declaravit tamen A. C. 1725.
Pontifex, quod Abbas semel benedi-
ctus, iterum benedictionem petere vel
obtinere non teneretur. Die secunda
præfati Mensis locorum Ordinariis præ-
scripsit normam coercendi Clericos be-
neficiatos, si in habitu laicali incedunt,
iplos vero Clericos ita delinquentes
sub mortali ad restitutionem fructuum
perceptorum adstrictos esse decrevit.
Præterea die nona Maij Ordinariis præ-
cepit, ut Seminaria sedulo promove-
rent, & Alumnorum honestæ susten-
tationi providerent: Eo fine novam in-
stituit *Congregationem Seminariorum* nun-
cupatam, quæ recto illorum regimini
& administrationi præsideret; die e-
tiam decima nona Maij statuit, ut in
Ecclesiis Cathedralibus, ubi nondum
existunt, instituerentur Præbendæ theo-
logales, & Canonici Pœnitentiarum.
Insuper die octava Junii non modo Gre-
gorii XIV. literas, quibus delicta quæ-
dam ab immunitatis beneficio excipie-
bantur, confirmavit, sed insuper de-
claravit, quod immunitas Ecclesiastica
minime suffragaretur, primo, publicis
latronibus, etsi unicam duntaxat graf-
sationem in via publica perpetrassent,
2. illis, qui stantes in Ecclesia vel cæ-
meterio interficerent aut mutilarent
stantes

Sæc. XVIII. stantes extra Ecclesiam vel cæmeterium,
 A. C. 1725 aut stantes extra Ecclesiam occiderent
 stantes intra Ecclesiam, 3. eis Affasi-
 nis, qui certum præmium aut merce-
 dem sive in pecunia sive in aliis rebus
 tradidissent, aut promisissent, 4. de-
 mum his, qui præmeditate aliquem
 interficerent, literas Apostolicas falsifi-
 carent, aut monetas cuderent vel adul-
 terarent &c. Præcepit insuper, ut Ca-
 thedrales & Collegiatæ Ecclesiæ repa-
 rarentur, huncque in finem noviter
 provisi de quocunque Sacerdotio non
 affecto S. Sedi, medietatem fructuum
 eorundem Sacerdotiorum pro fabrica
 illarum Ecclesiarum solvere teneren-
 tur. Cum vero ejus Prædecessores
 morte præventi de quibusdam in San-
 ctorum Album relatis literas Aposto-
 licas non edidissent, hinc Benedictus
 ejusmodi literas factæ Canonisationis
 testes de S. Laurentio Justiniano, B. Isi-
 doro Agricola, & B. Philippo Benitio
 conscripsit & pro omnibus totius Orbis
 Catholici Patriarchalibus, Metropolita-
 nis, & Cathedralibus Ecclesiis Altare
 privilegiatum quotidianum & perpe-
 tuum, cunctisque fidelibus, qui ad-
 pulsus salutationis Angelicæ orave-
 rint, indulgentias perpetuas concessit.
 Die autem quarta Aprilis decrevit, ut
 Regulares Apostatæ, qui citra Montes
 intra

intra quatuor, ultra Montes intra octo
 Menses suo sponte ad suam quisque re-
 ligionem rediisset, anno Jubilæi post
 petitam a suis Superioribus veniam &
 absolutionem, sine omni pœna recipian-
 tur, *Ut oves, quas sathanae versutia a
 caulis Domini abduxit, ad easdem eo prom-
 ptius reducantur, ne in perpetuum pereant:*
 Quoniam vero Bartholomæus Gavanti
 Clericus Regularis Congregationis Bar-
 nabitaram ob tot exantlatos labores,
 editosque libros de Congregatione Sa-
 crorum Rituum optime meritus fuisset,
 hinc Pontifex in gratitudinis signum
 indulgit, ut deinceps locus Consultoris
 in præfata S. Rituum Congregatione
 semper uni ex Barnabitis assignaretur.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

§. XXXIII.

*Ejusdem Pontificis anxietas ob pacis
 fœdus inter Imperatorem, &
 Hispaniæ Regem.*

Cum controversia de jure successionis
 in Hispaniæ Regnum & Parmen-
 sem ac Florentinum Ducatum per pa-
 cem Badensem non fuisset decisa, &
 Hispaniæ Rex Siciliam æque ac Sardi-
 niam hostiliter invasisset, ad com-
 ponendas has lites exeunte anno hujus
 sæculi vigesimo novus Congressus Ca-
 meracum indicebatur. Varia tum in
Hist. Eccles. Tom. LXXII. M me-

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

medium fuere prolata, conclusum tamen nihil, & ipsa causæ difficultas non minus, quam litigantium animositas universam Europam expectatione suspensam tenuit. Ex nova tamen animorum acerbitate inter Cæsarem & Hispaniæ Regem (quod plane mirum) nata est concordia, & controversiæ exitus; postquam enim Ludovicus XV. Galliarum Rex Annam Victoriam, Sponsam suam Philippi V. Hispaniæ Regis Filiam in Hispaniam remiserat, & Mariam, Stanislai Lescynski Poloniæ Regis Filiam sibi in thori sociam elegerat, Hispaniæ Rex injuriam suo nomini illatam ratus, ultionem parabat; Præprimis ergo suum Legatum ex Galliis revocat, dein aucto odio & utriusque agnatæ Domus aversione, Cameraensem Congressum abruptit, relictisque ibidem Regum Legatis ipse privatam Viennæ cum Carolo Cæsare pacem, fædusque amicitæ & defensionis mutæ init, cui postmodum accessit tractatus Hannoveranus, fædus Cæsaris cum Suecia ac Moscovia, ac denique Pax universalis. Videbatur Europa novam induisse faciem, & de compositis diffidiis gaudebant omnes; soli Benedicto XIII. hæc pax graves afferre videbatur sollicitudines: Dolebat præprimis per hujus pacificationis condiciones

Parmæ

Parmæ & Placentiæ Ducatus in Hispanum Principem rursus devolutos, & Jura Sedis Apostolicæ penitus neglecta: Querebatur itidem, dominium binis abhinc sæculis pacifice usque ad hæc tempora a Pontificibus continuatum, jam nunc ab aliis, se quasi in scio pefumdatum, pacem Westphalicam & Olivensem esse firmatas, & Viennensem ac Gallicam Aulam arctius cum Protestantibus conjunctam. Eapropter ad suos Nuntios Apostolicos quaquaversum hac super re literas perscribit, oppido graves, omnesque Catholicos Europæ Principes admonet de vulnere auctoritati Sedis Apostolicæ inflicto; ast irrito prorsus conatu, prævaluit enim certæ pacis utilitas dubii juris tuendi proposito, ac ex in novam controversiam excitandi periculo.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

§. XXXIV.

Constitutiones ac decisiones S. Congregationum.

Hoc item anno S. Congregationum plura decreta annuente & confirmante summo Pontifice, fuere edita, & primo quidem occasione Jubilæi Benedictus XIII. die decima Januarii declaravit, in generali Indulgentiarum suspensione non intelligi suspensas in-

*Decret.
Congr. Rit.*

M 2 indulgen-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

*Petra Com-
ment. ad
Constit. 18.
Sixti IV.
t. 5. p. 565.*

dulgentias Altarium Privilegiatorum pro defunctis, neque quasvis alias pro solis defunctis concessas, nec eas, quæ concedi solent a Cardinalibus Legatis, Nuntiis Apost. & Episcopis in usu Pontificalium, vel in dandis benedictionibus, vel in alia consueta forma, vel quæ datæ sunt recitantibus orationem: *Angelus Domini.* Die autem decima Martii S. Rituum Congregatio proprium S. Firmini Ep. & M. Officium die septima Julii recitandum ad omnes Hispani Regis ditones & Clericos extendit, voluitque, ut Officium B. V. de Rosario & B. Mariæ de Monte Carmelo in universa Ecclesia, & illud de translatione S. Domus Lauretanæ in tota Dalmatia recitaretur: Declaravit etiam die decima Aprilis, quod FF. Prædicatores quotannis processionem SS. Rosarii prima Mensis Octobris Dominica celebrare, & absque assistentia Parochi, nec requisita Ordinarii licentia, limites cujuscunque Parochiæ ingredi libere & licite possent. Præcepit insuper Pontifex die nona Maij, ut in omnibus Seminariis impofterum Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplina erudirentur, & S. Scripturæ, Catechismi, aliorumque Ecclesiasticorum librorum, præsertim vero de

de Sacramentis sacrisque Ritibus tra- Sæc. XVIII.
stantium lectioni diligenter incumbere- A. C. 1725.
rent. Denique S. Rituum Congrega-
tio die septima Julii Officium de S. An-
drea Avellino pro die decima Novem-
bris & Officium S. Vincentii Ferrerii
& S. Philippi Nerii ad utrumque Cle-
rum universæ Ecclesiæ extendit.

§. XXXV.

*Graves molestiæ summo Pontifici
illatæ.*

Primis sui Pontificatus auspiciis Be-
nedictus XIII. pluribus implicaba-
tur molestiis: Has inter haud infima
erat diuturna non minus, ac vehemens
controversia cum Sardinæ Aula; post-
quam enim hic Ducatus Anno 1719.
ex mutuo pacto ad Sabaudix Ducem
transierat, Romana Curia ab eo pete-
bat, ut Dux beneficiariam inaugura-
tionem pro hoc Ducatu a summo Pon-
tifice peteret, & Inquisitionis Tribunal
ad normam Hispanici erigeret. Urgetur
hoc negotium non modo Taurini, sed
& Parisiis, & Cameraci; sed incassum
omnia; tandem vero ad expugnandum
Ducis animum postremus adhibebatur
aries, atque jus Patronatus seu jus
ad nominationem Episcoporum, Cle-
ricorumque novo Duci in controver-
siam

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

fiam ducebatur: inde ergo accidit, ut plures Ecclesiæ suo Pastore orbatæ diu Ingemiscerent, cum Pontifices illis Episcopis, quos Dux nominabat, Apostolicas confirmationis literas denegarent, & vicissim Dux illos, qui Pontificiæ dispositioni cesserant, gravissimis affligeret pœnis: Dolebat vel maxime Benedictus XIII. has controversias tam diu agitatas ad ultimum pene discrimen adductas esse; has equidem tandem finire voluisset, sed ea, qua pollebat, conscientiæ teneritudo, ac stimuli ipsum præpediebant; verebatur quippe, ne antiquis sacræ Sedis juribus quicquam derogaret; in memoriam enim revocabat, quod primum Nicolaus V. in quadam Constitutione Amadæo VIII. seu verius ejus Filio Ludovico has immunitates & gratias contulisset, & quidem ex solo gratitudinis titulo, eoquod hic Dux Pontificatum, quem sub nomine Felicis V. in Concilio Basileensi assumpserat, sponte dimisisset; cum autem has ipsas immunitates quamplurimi ex Romanis Pontificibus fere ad hunc usque diem vel impugnare conati essent, vel eas ratas habuissent, prout diversa illis arrisisset opinio, vel diversæ S. Sedis vicissitudines id postulassent, hinc Benedictus XIII. Sacræ Sedi adhucdum hoc jus comperere

petere existimabat: Ingemuit tamen Sæc. XVIII.
 ex hoc ipso capite tot alias emerfisse A. C. 1725.
 difficultates, novarumque litium fe-
 mina, quæ jam sub Clemente XI. a-
 cerrime mota, hucusque ad concor-
 diam reduci nequiverant; vehementer
 enim disceptabatur de caussis beneficia-
 libus, & de Regio Jure Patronatus,
 quod eodem Nicolai V. Diplomate Vi-
 ctor Amadæus Sabaudix Dux post ob-
 tentum Sardinix Ducatum super qua-
 cunque Ecclesia (nulla excepta) sibi
 asserebat. Contendebatur etiam de
 jurisdictione Ecclesiastica & Ecclesiæ
 Immunitate, quam Pontifex sæpe nu-
 mero violatam autumabat. Denique
 agebatur de directo, ut vocant, do-
 minio super Abbatia S. Benigni, nec-
 non super Oppidis Cortantiæ, Cor-
 tationis, Montaphix, & Cisternæ.
 Nil autem conciliandæ concordix spem
 magis frustrabat, nisi quod Epistolarum
 commercium utrinque penitus abru-
 ptum esset; hoc enim sublato nec pax
 obtineri, imo nequidem de ea pertra-
 ctari poterat: Cunctis tamen hisce dif-
 ficultatibus superior erat Pontificis ani-
 mus pacis studiosissimus; ipse ergo
 Ducem ad ineundam concordiam in-
 vitat, ultroque ad eum ablegat Tho-
 mam de Spoleto Ordinis FF. Obser-
 vantium Reformatorem, qui Amadæum

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Ducem certiozem redderet de pronatate, qua tandem antiqua diffidia tollere, cunctaque elargiri paratus effet, quæ tuta conscientia, salvoque Apostolico officio indulgeri possent. Insuper certas quasdam propositiones exhibuit, per quas hujus controversiæ negotium ad concordiam perducere tandem finiri valeret. Nec hisce Papæ desiderijs sese difficilem exhibebat Sardinia Dux, qui nulla mora Administrum suum Romam misit Ferrerium Marchionem de Ormea. Hic ergo cum Patribus illius Congregationis, cui hujus negotii discussio demandata erat, serio de concordia ineunda conditionibus agere incipit. Admittitur etiam ad Pontificis alloquium, a quo interrogatus, quandonam tandem Sardinia Dux controversias cum Sede Apostolica tollere velit? respondit, Purpuratos Congregationi præpositos nimium difficiles esse & nequicquam de prætensis juribus remittere velle: Reposuit tamen Benedictus, id Congregationis non esse, sed solius Pontificis, se vero petere, ut Tauriensis Aula de amica transactione præprimis serio ageret: Hoc Papæ responsum Legatus in bonum omen vertit, spe fretus, se facile a mansuetissimo Papa obtenturam,

rum, quod a Cardinalibus extorquere desperaverat. Paulopost Pontifex hunc Legatum Taurinum redire iussit, ut hac super re cum suo Duce oretenus ageret.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Vid. supra
t. 71. p. 644.

Priusquam gravis hæc controversia componeretur, nova Pontificem incesserat sollicitudo ob Lusitanæ Regem. Hic enim Vincentium Bichium Apostolicum ibidem Nuntium tanto prosequabatur favore, ut illum nulla interposita mora Sacro Purpuratorum Collegio adscribi, vehementer peteret, caussatus, sibi desuper fidem a Papa fuisse datam: Negabat Pontifex, se ullam hac super re sponsonem fecisse. Tempus tamen, atque inducias petebat, ut oborta in Sacro Senatu contra Bichii promotionem obstacula tolleret. At moram pertæsus Lusitanæ Rex, per Comitem de Mello ejus apud S. Sedem Oratorem rursus Papam urgebat, ut in proxima Cardinalium inauguratione hunc Virum promerita Purpura decoraret: Ipse etiam Cardinalis Pereira Regis sui votis obsecundans, Cardinalem Cosciam, cujus promotioni Cardinales acriter obstiterant, toto virium nisu tuebatur, confisus, fore, ut Pontifex hoc obsequio delinitus, eo promptius Bichium Cardinalium Albo inscripturus esset. Minitabatur insu-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

per Pereira, Regem ulterioris dilatio-
nis fastidio cunctos suos subditos Roma
evocaturum, nec deinceps Nuntium
Pontificium in Lusitana Aula tolera-
turum. Doluit equidem gravissime
Pontifex, ob unius Viri protectionem
concordiam cum Lusitano Rege tam
aperte abrumpi; quapropter declara-
bat, se suo tempore Bichio desiderata
concessurum. Ast Cardinales numero
viginti novem junctis consiliis recla-
mabant, edito acri libello, cui omnes
subscripti palam declarabant, si
Pontifex hunc Virum electurus esset,
se illum nunquam Cardinalium numero
habituos. Interim anno hujus sæculi
vigesimo septimo Pontifex Beneventum
venerat, ubi Cardinales, qui Bichio
suffragabantur, haud temere conjecta-
bant, absentibus iis, qui eidem adver-
sabantur, facilius Papam in Lusitani
Regis favorem inclinari posse: Verum
Papa suam auctoritatem in discrimen
adduci veritus, a sua sententia dimo-
veri haud potuit: Causa dein diffici-
lioris concordiae accessit nova, Regii
Oratoris nimirum cum Cardinale Pe-
reira collisio; sinistri enim successus
culpam alter in alterum conjecerat,
& Andreas Melo de Castro Legatus
Cardinalem insimulabat, quod in nu-
pera Fleurii Cardinalis electione Sacrum
Colle-

Collegium sua importunitate exacerbasset, ac insuper inconsideratius Regi suggessisset, consultius fore, si deinceps non Orator Laicus sed Cardinalis pro more ceterorum Principum Romæ Legatum ageret, utpote cui facilior ad Papam accessus, & præter alias prærogativas, expeditior Regni causas in Patrum Senatu pertractandi copia esset. Execrabatur Orator nec tacite, sed palam non modo hoc consilium, verum & Consultorem. Stimulante ergo rivalitate, Cardinalis, quod suæ dignitatis auctoritate non poterat, ipse per obfirmatam violentiam extorquere statuit. Itaque Benevento Romam reducem Benedict. XIII. adortur, cum precibus tum minis stimulat & urget, ut Bichium incunctanter Cardinalium Collegio adscriberet. Verum Pontifex importuna non minus, quam diuturna sollicitatione exagitatus, respondit, se opportuno tempore id præstiturum, ceterum nolle se amplius ea in re vexari, ad quam opus esset debita maturitate, & petita Cardinalium approbatione. Igitur Anno 1728. totum hoc negotium Cardinalium Congregationi serio discutiendum mandat, sed horum unanimi suffragio Bichius Purpura indignus censetur. Hanc sententiam confirmante Papa,

Car-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

Cardinalis Pereira, ne suis partibus deesse videretur, palam declarabat, Regem omnino velle, ut tam ipse, quam omnes Lusitani Roma excederent. Enim vero hic Cardinalis & post ipsum Orator Lusitanus die vigesima Martii Roma abiere, non tamen insalutato Pontifice, qui discedentem his verbis alloquebatur: *conueniens quidem est, ut tui Principis mandato obtemperes, quod omnino etiam decuisset, ut & Bichius pariter Pontifici, cum eum Romam reuocauerat, morem gereret, &c.* Paulopost Lusitanæ Rex, quæ Romæ fuissent acta edoctus, Josephum Firao in eodem Lusitanæ Regno Nuntium Apostolicum e suis finibus expulit, Romæ singulari benevolentia exceptum. Minus tamen Regi acceptus erat tam Cardinalis, quam Legati adventus; cum enim rei minus prospere gestæ successus utriusque imprudentiæ attribueretur, nec hunc nec illum aliquamdiu alloquio dignabatur; sedato tamen indignationis æstu postmodum ambo perbenigne excipiebantur. Ceterum, quæ hac in re demum gesta sunt, paulopost recensebimus.

Leuior erat contentio Pontificis cum Carolo VI. Imperatore, qui Bullam, ut vocant, *Cruciatam* sibi concedi petebat, vi cuius de bonis Ecclesiasticorum

rum in Neapolitano Regno & Medio-
lanensi Ducatu tributum exigere lice-
ret. Huic petito obstitit Pontifex,
eo quod compertum haberet, quod Gal-
liarum Rex, & forte alii quoque Prin-
cipes eandem pariter gratiam postula-
turi essent: Hæc vero repulsa non pa-
rum offenderat Cæsarem, cujus indi-
gnatio augebatur, dum Pontifex ad
Siciliæ Præsules encyclicas daret lite-
ras, quibus eos hortabatur, ut Cle-
mentis XI. Constitutionem, qua Mo-
narchiæ Siculæ Tribunal abrogabatur,
fidelius, quam hætenus fecissent, exe-
querentur: Brevi tamen utraque hæc
controversia feliciter composita est.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

§. XXXVI.

*Pontificis sollicitudo in reconciliando
Angliæ Rege.*

Postquam Jacobus III. Angliæ Rex,
quem *Prætendentem* vocant, Romam
venerat, Benedictus XIII. illum sem-
per maxima benevolentia, & largitate
cumulavit, ejusque Filium die sexta
Martii recens natum, ipse Sacro fonte
asperfit, indito Benedicti nomine. Du-
dum inter regios hos Conjuges pax
summa, raraque animorum conjunctio
vigeat: Infernalis tamen omnium ma-
lorum machinator hoc anno dissensionis
Ziza-

Sæc. XVIII
A. C. 1725

Zizania superseminabat, ministerio quorundam usus, qui innocuum Regis affectum erga Comitis de Invernes uxorem ceu illicitum Reginæ animo imprimebant, nata exin Zelotypia, perniciosissima conjugiorum peste: Accessit insuper alia contentionis causa; Rex enim summo favore dignabatur quemdam Comitem Anglum secta Calvinianum, quem non modo a secretioribus consiliis, & epistolis esse voluit, sed hoc quoque anno Moderatorem primogenito suo Filio dedit, indignante vehementer Regina, quæ Filii sui informationem tali Viro commissam non minus periculosam, quam Domui suæ perniciosissimam fore censebat, eo quod præter perversionis periculum insuper timendum esset, ne Catholici in Anglia, alique Stuartæ familiæ fautores sinistram de eorum religione suspicionem conciperent: Petiit ergo Regina a Marito, ut hunc Filium adhuc dum sub cura nobilis & honestissimæ Virginis Scheldonæ relinqueret, cum ei hujus Moderatoris institutio eo magis suspecta esset, quo solertius hic præpediret, ne vel unquam Mater cum suo Filio, remotis arbitris conferre posset: His querelis, utut æquissimis, Rex minime movebatur, inde vero frequens altercatio usque adeo exarsit, ut

ut Regina palam minitaretur, se in Sæc. XVIII.
 Monasterium Virginum secessuram: Re A. C. 1725.
 comperta Pontifex pacis studiosissimus
 nullum non movit lapidem, ut sublatis
 simulatibus hosce Conjuges in pristi-
 num amorem & concordiam reduceret;
 ipse etiam Rex blandis verbis, creb-
 risque literis Reginam a concepto pro-
 posito dimovere nitebatur; cum autem
 Conjugis suæ petitis plene satisfacere
 nec posset, nec vellet, ac præsertim
 rei domesticæ curam cum ea partiri
 nollet, ipsa die decima quinta Novem-
 bris, quod animo conceperat, opere
 explere statuit. Accedit igitur proles
 suas, & Materno amplexu eas fovens
 illis valedixit, inquit: *relinquo vos*
charissimos Filios meos, haud ultra faciem
meam videbitis, quibus dictis ad Asce-
 terium S. Cæcilie Ord. S. Benedicti
 convolat; Hæc ubi intellexerat Ponti-
 fex, extremos adhibuit conatus, ut
 Regina ad suum reverteretur Maritum:
 Nec ulli etiam ad hoc labori pepercere
 Cardinales Imperialis & Alberonius,
 ac præcipue Plumbina Princeps Regine
 addictissima: Rex vero amore in iram
 converso ad uxoris suæ Parentem Po-
 loniæ Regem literas dedit, eidem si-
 gnificans, ut si vellet, Romam venire,
 suamque Filiam secum in Poloniam re-
 ducere posset: Conjugi vero suæ fecit
 optio-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

optionem, ut vel in patriam remearet, vel in Monasterio ad dies vitæ remaneret. Hæc vero Regi nuntiari iussit, sibi, quæ acta fuissent, haud incognita esse, nec se invitam ad patrios lares reversuram. Tum vero Pontifex suam auctoritatem efficacius interponere, necessarium duxit, ac præprimis Regem serio admonuit, ut vel Filiis suis Moderatorem religione Catholicum ipsus daret, vel hujus selectum Sedi Apostolicæ relinqueret, secus se a Pontificis alloquio exclusum iri sciret; Regnam vero hortabatur, ut privatam indignationem, doloremque heroicæ virtutis studio superaret, & in gratiam sui Mariti generoso animo rediret. Paulopost Rex die prima Maij Urbevatum profectus, cum Cardinale Gualterio, qui Anglici Regni Protector erat, hac super re conferebat, mox tamen præter omnium expectationem inde Romam reversus, ad Monasterium S. Cæcilix se contulit, cum sua Coniuge collocutus: Tum vero inexpectata hæc salutatio in faustum proximæ reconciliationis omen accipiebatur; eam tamen plurimum adhuc remotam esse alii conjectabant exin, quod Rex decimo septimo Julij, quem diem Regina natalem agebat, eidem nequidem ullum gratulationis officium præstiterit, minus

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

minus vero suas proles visendi copiam dederit, quamvis id ipsa non minus ardentem, quam iterato petiisset, cui tamen Rex responderi iussit, Palatium suum, in quo ejus Filii degerent, semper pervium esse: Eodem vero tempore Rex Bononiam proficisci statuit, prius tamen omnes vestes, gemmas, mundum muliebrem & pretiosa quæque unacum assignatione sex aureorum millium ad Conjugem suam transmissit, eique rescripsit, quod præteritas offensas ex animo condonaret, ac se absente ipsa vel ad Palatium reverti, vel ipsum Bononiam comitari posset: Ipsa vero transmissa acceptare renuit, ægerrime enim ferebat, illatæ offensionis causam in eam conjici: Mediatoris partes agere non destitit Pontifex, qui Regem valere iussum impense rogabat, ut filiis suis Matrem invisendi facultatem non denegaret: Id se facturum spondit Rex, qui die vigesima Septembris non modo Filios suos ad Reginam misit, sed ipse paulopost insperato advenit. Ad illius conspectum Regina primo pallescere, postea ejus manum osculari, ac demum ipsius pedibus advolvi, & vix non culpam deprecari. Hac submissione, quam mascula virtus produxit, commotus Rex, Reginam allevabat, ac tenero amplexu fovens in-

Hist. Eccles. Tom. LXXII. N tegras

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

tegras quatuor horas cum illa versabatur. Nil propius videbatur, quam plena reconciliatio, quam tamen retardabat præsentia quorundam, quorum perversa consilia, & machinationes Regina, ne stabili concordie obstarent, haud abs re verebatur: Postera die Rex Bononiam profectus, Regia profus pompa ibidem excipiebatur, ubi tamen hostium suorum insidias ægre eluctatus erat; unde, ut ejus securitati magis consultum esset, Pontifex eidem auctor exstitit, ut Romam reverteretur. Interim vero Imperialis Cardinalis, jussu Pontificis de reconciliationis negotio cum Rege agebat; nec sine prospero conatus successu; quippe Jacobus Rex die decima quinta Aprilis Comitem de Invernes unacum sua uxore valere jussit. Sublato itaque offensionis lapide Cardinales Imperialis, Alberonius, Albanus, Spinula, Corradinus & Lercarius Reginam accessere, eam rogantes, ut abrupta omni mora, & seposita etiam minimæ aversionis nota e Monasterio ad Regium Maritimum Bononiam contenderet. Accessit etiam ipsemet Pontifex, qui se effecturum spondit, ut ejus Filii non in alia, quam Religione Catholica sub cura Nobilis Matronæ Walpoliæ educarentur: Die igitur octava Julii Regina

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

gina comitantibus eam duobus Proce-
ribus, totidemque Matronis, quas Rex
obviam miserat die duodecima ejusdem
Mensis Bononiam ingressa est, dein-
ceps indissolubili conjugalis amoris nexu
Regio suo Marito arctissime conjuncta.

§. XXXVII.

*Controversia circa primas preces in
Diacesi Osnabrugensi
exorta.*

Jam anno Domini millesimo ducente-
simo quinquagesimo nono Baldui-
nus de Ruste, dictus de Hastorpe Epi-
scopus Osnabrugensis, Widenbrugi Diæ-
cesis ejusdem Oppido, Ecclesiam Col-
legiatam & octo Canonorum Capitu-
lum ea ratione fundaverat, ut horum
Canonicatum collatio unice Episcopo
propria esset, atque in ea, utpote in
Ecclesia mediata, nec Canonorum
nec Mensium Papalium *Turnus* unquam
observaretur: Hoc jure hæc Ecclesia
tam constanter atque illibate frueba-
tur, ut nequidem in anno normali,
aut postmodum exemplum occurreret,
quo notum fieret, quod Imperatores vi
primarum precum quosdam ad hanc
Ecclesiam nominassent; quinimo, quam-
vis Rudolphus II. Mindensi cuidam
Canonico harum precum gratiam

N 2

Anno

Sæc. XVIII. Anno 1588. fecisset, nihilominus hic
A. C. 1725. a sua petitione excluderetur, Episcopo
 opponente, ex libro Capituli Widen-
 brugenſis conſtare, quod ab Anno 1560.
 usque ad annum præſentem 1726. omnes
 Neo-Canonici Collegiatæ Eccleſiæ Widen-
 brugenſis fideliter annotati fuiſſent, nullus
 tamen repertus, qui aliter quam ab
 Episcopo fuiſſet aſſumptus, quinimo
 Joannes Ploger, ejusque Filius, necnon
 Titus Trone & Joannes Thorſtratam ca-
 verint Capitulo de indemnitate in ſcriptis
 propter Canonicum Mindenſem, qui ſuper
 hac præbenda deſuncti Decani inſinuaverat
 Capitulo Preces Cæſareæ Majestatis Ru-
 dolphi II. ac propterea illum miſerint ad
 Reverendiſſimum Episcopum Osnabrugeniſem
 dicendo: quod ipſi Preces non acceptarent,
 niſi ſint ab eodem Episcopo per placitum ac-
 ceptatæ, & Canonicis deſuper paritio de-
 mandata: Poſtea exponebat Episcopus,
 ne veſtigium quidem comparere, ex
 quo oſtendi poſſet, quod Rudolphi Im-
 peratoris Succeſſores Auguſtiſſimi Mat-
 thias, Ferdinandus II. III. & IV. Leo-
 poldus & Joſephus I. unquam preces
 primas ad hanc Eccleſiam extendiſ-
 ſent. Hæc erant præcipua fundamenta,
 quibus innixus Dux de Yorck Oſna-
 brugenſis Episcopus hoc anno nomine
 Widenbrugenſis mediatæ Eccleſiæ pri-
 mis precibus Caroli VI. Imper. obſtitit.
 Anno

Anno enim hujus sæculi decimo quinto die decima sexta Martii idem Augustissimus Imperator Martino Hermano Dionysio Beleen ad hujus Ecclesiæ Canonicatum preces primarias concessit, hancque in rem Cæsareum diploma sequens gratiose eidem indulgit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

*Carolus VI. &c. Nobis dilectis N.
Decano & Capitulo Ecclesiæ Collegiatae in Wiedenbruck, Diocesis Os-
nabrugensis, gratiam Nostram Cæ-
saream & omne bonum:*

„Etsi Nos ad Romani Imperii fasti-
gium eVectos, titulisque Augusti &
„Regio diademate decoratos summa
„semper ope niti deceat, omnia sacri
„Romani Imperii intemerata jura, &
„Consuetudines laudabiles conservare,
„par est tamen, ut hoc diligentiori
„studio præstemus, si quando integri-
„tate vitæ & morum probitate aliisque
„virtutibus insignitos meritis beneficiis
„& dignis honoribus afficiendos arbi-
„tramur; siquidem Imperatorum, re-
„gumque sublimitas & magnitudo nullo
„expressius officio Optimi Maximi si-
„militudinem referre potest, quam si
„pluribus bene fecerit: Quare cum No-
„bis ad Prædecessorum Nostrorum imi-
„tationem ex inveterata consuetudine

N 3

„jus

Sæc. XVIII.

A. C. 1725.

„jus competat Præces primarias ad
 „omnes & singulos beneficiorum Eccle-
 „siasticorum Collatores & Collatrices
 „capitula, Conventus & Collegia, ac per-
 „sonas alias, de illis quocumque modo
 „disponendi jus habentes, per univer-
 „sum Romanum Imperium constitutas
 „porrigendi, dandi, concedendi, &
 „decernendi pro personis idoneis & No-
 „bis gratis ad consequenda beneficia
 „Ecclesiastica cum cura & sine cura,
 „tam sæcularia, quam regularia, e-
 „tiam si Canonicatus & præbendæ, di-
 „gnitates, Personatus, Administratio-
 „nes, vel Officia fuerint in Collegiata,
 „Cathedrali vel Metropolitana Ecclesia,
 „etiam si ad ea consueverint, qui per
 „electionem assumi, ad Collatorum,
 „Collatricum, Capitulorum, Collegio-
 „rum sive conventuum, ac personarum
 „prædictarum collationem, provisionem,
 „electionem, nominationem, præsen-
 „tationem, seu quamlibet aliam ordi-
 „nationem, conjunctim vel divisim,
 „spectantia (Canonicatu nihilominus &
 „Præbenda cum dignitate, personatu,
 „administratione vel Officio, etiam ex
 „persona plurium successive vacantibus,
 „pro uno competentis beneficio) id-
 „circo Romani Imperii jura & consue-
 „tudines (ut tenemur) prosequi & Præ-
 „decessorum vestigiis inhærere volentes

„im-

„imprimis eum, qui a divæ memoriæ Sæc. XVIII.
 „Augustissimo Romanorum Imperatore A. C. 1725.
 „Josepho, Fratre Nostro Charissimo,
 „vigore primarum Precum ad ejus-
 „modi beneficium Vobis præsentatus
 „ejusdemque possessionem juris aut
 „facti, sive solus sive unacum alio,
 „quem vel summus Pontifex, aut alius
 „quicumque demum Collator nomi-
 „nasset, adeptus fuit, in illa manuteneri,
 „alterique hoc in casu de alio ejusmodi
 „beneficio in Ecclesia Vestra posthac
 „provideri, quod si vero præcista, alio
 „ad possessionem admissio, ab eadem
 „penitus exclusus fuisset, vel primarias
 „preces modo dicti Augustissimi quon-
 „dam Imperatoris Josephi adhuc Vo-
 „bis exhiberet, eundem Præcistam
 „ad beneficium, quod proxime va-
 „caverit, admitti cupimus, omnique
 „modo curabimus, deinde etiam pri-
 „marias preces Nostras pro fidei Nobis
 „dilecto Martino Hermano Dionysio
 „Beelen ad Vos porreximus, dedimus,
 „concessimus & decrevimus, & per
 „præsentes porrigimus, damus, con-
 „cedimus & decernimus, Vos adhor-
 „tantes & pro conservatione jurium &
 „consuetudinum Romani Imperii ex-
 „presse requirentes, ut beneficium Ec-
 „clesiasticum, tam regulare, quam sæ-
 „culare, cum cura vel sine cura, e-

Sæc. XVIII. „tiamſi Canonicatus & præbenda, di- „
A. C. 1725. „gnitas, perſonatus, adminiſtratio, „
 „vel officium fuerit, etiamſi ad illud „
 „conſueverint, qui per electionem af- „
 „ſumi in Metropolitana Cathedrali vel „
 „Collegiata Eccleſia, quod ad præſens „
 „ſive proxime quomodolibet ſimul vel „
 „ſucceſſive in quocumque Mense per „
 „orbitum, deceſſum vel reſignationem „
 „alicujus vacare contigerit, ad colla- „
 „tionem, proviſionem, electionem, no- „
 „minationem, præſentationem, ordi- „
 „nationem, ſive quamlibet aliam diſpo- „
 „ſitionem veſtram pertinens canoni- „
 „catus, ut præfertur & Præbenda cum „
 „dignitate, perſonatu, adminiſtratione, „
 „vel officio, etiamſi ex perſona plurium „
 „ſucceſſive vacaverint, pro uno com- „
 „putatis beneficio, quod præſatus Mar- „
 „tinus Hermanus Dionyſius Beelen per „
 „ſe vel Procuratorem ſuum infra men- „
 „ſem a die notæ ſibi vacationis duxerit „
 „acceptandum, eundem Martinum „
 „Hermanum Dionyſium Beelen, pro- „
 „ut ad vos ſpectat, ad illud eligatis, „
 „nominetis, præſentetis, ac ei illud con- „
 „feratis & aſſignetis, atque etiam de „
 „eo provideatis, ponendo eum in pæ- „
 „cifica, & quieta poſſeſſione, ſtallum „
 „in Choro & locum in capitulo ei aſ- „
 „ſignando, cum plenitudine Juris Ca- „
 „nonici & fructuum perceptione, qua- „
 „libet

libet contradictione cessante. Quo vero Sæc. XVIII.
 hæ Preces Nostræ primariæ certio- A. C. 1725.
 rem consequantur effectum, volumus
 non modo, ut de eo intra mensem,
 a die debitæ ac plenariæ executionis
 computandum, literis vestris Nos di-
 stincte edoceatis, verum etiam no-
 minamus & deputamus tenore præ-
 sentium, Reverendissimum LOTHAR-
 RIUM FRANCISCUM Archiepiscopum
 Moguntinum sacri Romani Imperii
 per Germaniam Archi - Cancellarium,
 Episcopum Bambergensem, Princi-
 pem Electorem Nepotem, & Consi-
 liarium Nostrum charissimum, nec
 non venerabilem FRANCISCUM AR-
 NOLDUM, Episcopum Paderbornen-
 sem & Monasteriensem, Principem
 devotum Nobis dilectum, & quem-
 libet eorum in solidum, qui præsentibus
 Nostris Literis requisitus fuerit,
 harum primariarum Nostrarum Exe-
 cutores, eisdem simul, & seorsim
 per præsentem expresse committentes
 & mandantes, ut si forte in contem-
 ptum, & præjudicium jurium & con-
 suetudinum Romani Imperii, ad pa-
 rendum hujusmodi primariis Precibus
 Nostris Contumaces fueritis, tan-
 quam Executores a Nobis deputati
 sub pœna gravis indignationis Nostræ
 vos realiter & cum effectu ad paren-
 dum

Sæc. XVIII. „dum juxta Constitutiones imperii mo-
A.C. 1725. „neat, & compellat, contumacia vero
 „vestra aut contemptu (quod absit)
 „per mensem continuum, a die requi-
 „sitionis numerandum, durante, vos
 „omnibus & singulis privilegiis, gratiis,
 „libertatibus & donationibus a Ro-
 „manorum Imperatoribus & Regibus,
 „ac a Nobis & aliis Prædecessoribus
 „Nostris, vobis concessis, eo ipso pri-
 „vatos & Nostra tuitione exutos decla-
 „ret, quæ & quas ex nunc prout a die
 „contumaciæ Vestræ tenore præsentium
 „revocamus, cassamus & irrita esse
 „volumus, & vos taliter contumaces
 „a beneficiis Majestatis Nostræ reddi-
 „mus alienos, prout etiam ex nunc,
 „prout ex tunc, privamus & a Pro-
 „tectione Nostra excludimus.„

Verum Episcopus & Canonici, uti
 olim ad Rudolphi, ita & ad Caroli VI.
 diploma, Cæsareo-Aulico Consilio re-
 sponderunt, nec ultra hac super re
 tum lis mota erat.

Hæc tamen controversia recrudit,
 postquam præfatus Martinus Beleen
 anno hujus sæculi vigesimo primo die
 vigesima quarta Julii preces suas Co-
 loniensi Clerico Wernero Aachen, ac-
 cedente Cæsarea ratihabitione cesserat,
 erecto desuper sequenti instrumento:

„Præ-

„Præsentis publici instrumenti te-
 „nore notum sit & pateat omnibus &
 „singulis, quod anno a Nativitate Do-
 „mini Nostri millesimo septingentesimo
 „vigesimo primo, indictione decima
 „quarta gloriosissime regnante Serenif-
 „simo, invictissimo, Potentissimoque Prin-
 „cipe Domino Domino CAROLO VI.
 „Romanorum Imperatore semper Au-
 „gusto, Germaniæ, Hispaniæ, Hun-
 „garicæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croa-
 „tiæ & Sclavoniæ Rege &c. &c. Archi-
 „Duce Austriæ, Duce Burgundiæ,
 „Brabantæ, Styriæ, Carinthiæ, Car-
 „niolæ & Wirtembergæ, Comite Habs-
 „burgi & Tirolis &c. &c. Romani Im-
 „perii Regiminis anno decimo, die
 „vero 24. Mensis Julii, coram me No-
 „tario publico & testibus infra nomi-
 „nandis comparens Martinus Herma-
 „nus Dionysius Beelen in Collegiata
 „Ecclesia Wiedenbrugensi Precista im-
 „perialis, tam in scriptis, quam ore-
 „tenus declaraverit, qualiter ipse ex
 „causis animum suum moventibus &
 „signanter, quia aliunde sibi provisio-
 „nis seu promotionis citius obtinendæ,
 „quam vacationis in dicta Collegiata
 „(in qua pauci Canonici existunt)
 „secuturæ spes affulgeret, hujusmodi
 „precum primariarum transcriptionem
 „in personam Wernerii Aachen, Clerici
 „Co-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Sæc. XVIII. „Colonienſis, & non aliter clementiſſi-
 A. C. 1725. „ſima Gratia Cæſarea deſideraret, eum-
 „que in finem dictis clementiſſimis Pre-
 „cibus, ſponte & nulla fraude (uti
 „aſſeruit) circumventus, renuntiando
 „nominavit, declaravit & conſtituit
 „D. N. Souffrain, Aulæ Imperialis A-
 „gentem, & alios quoscumque & eo-
 „rum quemlibet in ſolidum ad ſuo nomi-
 „ne dictam tranſcriptionem negotian-
 „dum & ſollicitandum, aliaque & ſin-
 „gula gerendum & exercendum, quæ
 „in præmiſſis neceſſaria fuerint & oppor-
 „tuna, cum Clauſulis ſolitis & requi-
 „ſitis. Acta fuerunt hæc Coloniae Ag-
 „rippinæ uti ſupra, præſentibus Wil-
 „helmo Meller & Joanne Nicolao Wan-
 „gen, teſtibus fide dignis ſpecialiter
 „requiſitis. „

Hic idem Wernerus Cæſareum pri-
 marum precum diploma die 4. Nov.
 ejusdem anni exhibuit, ejusdem om-
 nino cum priori tenoris, niſi quod circa
 nomen ea, quæ mutanda videbantur,
 mutata fuerint. Verum ad hoc respon-
 ſum erat, quominus id acceptari poſ-
 ſet, obſtare nunquam interruptum hu-
 jus Eccleſiæ jus, & manifeſtam pacis
 Weſtphaliæ diſpoſitionem Art. V. §. 26.

Accepto hoc reſponſo Wernerus ad
 ipſum Cæſarem ſupplices dedit literas,
 ut Osnabrugenſem Epiſcopum ad exe-
 quen-

quendum hoc diploma urgere vellet. **Sæc. XVIII.**
 Ne hujus petito abnuat Imperator, qui **A. C. 1725.**
 hoc anno die decima quarta Maij ad
 ipsum Episcopum rescripsit, *ex usu im-*
memorabili, & continuo, atque etiam ex
instrumento pacis Westphalicæ manifestum
 esse, quod primarias preces tam ad
 mediatas, quam immediatas Ecclesias
 concedendi jus Imperatoribus compe-
 tat, proin fundamenta, quibus Epi-
 scopus suam oppositionem fulciret, in-
 ania esse, Decano igitur & Capitulo
 præcipiendum, ut preces hæc pri-
 marias plene exequerentur, & de præ-
 stita obedientia intra bimestre Impera-
 torem certiore redderent, secus pœ-
 nis in diplomate sancitis plectendi. At-
 tamen Episcopus & Capitulum rem ad
 Comitiam Imperialia Ratisbonam detu-
 lere, expositisque suis juribus questi
 sunt, quod contra Capitulationem Ca-
 roli VI. Art. 2. huic causæ initium
 factum fuerit a præceptis & mandatis
 pœnalibus, quin prius illorum, quo-
 rum interesset, necessaria defensio fuisset
 audita, atque admissa: Interim vero
 Wernero significarunt, ut de facta Be-
 leeni cessione legitima doceret, & rem
 ad Osnabrugensem Episcopum utpote
Ordinarium Collatorem devolveret: Post-
 quam vero Wernerus per suum Procu-
 ratorem juris possessionem acceperat,
 eidem

Cæc. XVIII. eidem intimatum est, ipsum omnino
A. C. 1725. excludendum esse, & **Canonicatum**,
 quem post Eggeri Canonici obitum vi
 primarum precum peteret, alteri esse
 collatum. Ea res haud parum offen-
 dit Imperatorem, qui die decima quarta
 Maij ad Capitulum literas dedit, in
 quibus significatum, quod Ordinarii
 Collatoris dispositio Cæsareis primis
 precibus cedere debeat, nec Capitulo
 competat in Cæsarei Precistæ præju-
 dicium quicquam moliri: morem igitur
 his precibus sine cunctatione gererent,
 secus sancitis pœnis coercendi. Ad hoc
 mandatum Ernestus Augustus Osnab-
 rugensis Episcopus datis die decima
 nona Julii literis, Imperatorem roga-
 bat, ut sui diplomatis executionem dif-
 ferri permetteret, donec adduci posset
 exemplum, quo constaret, ante pacem
 Westphalicam vel semel primariis pre-
 cibus ad Widenbrugensem Ecclesiam
 locum fuisse, vel donec Imperii legibus
 consona produceretur interpretatio clari
 hujus textus, in quo Art. 5. §. 26.
 Pac. Cæsareo-Suevicæ Osnabrugensis
 Anno 1648. statutum, *quod in quibus-*
cunque etiam FUNDATIONIBUS MEDIA-
TIS Anno 1624. die 1. Jan. S. Cæsarea
Majestas primarias preces exercuit, exer-
ceat eas & in posterum, ad modum circa
bona immediata superius explicatum. Ex-
 pone-

ponebat insuper Episcopus, observan- Sæc. XVIII.
 tiam primarum precum obstare Capi- A. C. 1725.
 tulationis perpetuæ Articulo 32. Anno
 1650. die 28. Julii sancitæ, quo cau-
 tum, *ne unquam beneficia, quorum collatio*
ad Episcopum pertinet, gratis expectati-
vis onerentur, nec ab Episcopo examinati
& admissi extraneis postponantur. Nihilo-
 minus die 2. Jan. anno sequenti Cæ-
 sareo-Aulicus Senatus declaravit, tam
 manifesta tamque æqua esse Imperato-
 ris jura, ut ea ab Episcopo in contro-
 versiam trahi nequirent, proin illum
 absdubio Cæsareo Precistæ ad conse-
 quendum hunc Canonicatum omni ope
 & opera præsto futurum. Eadem ergo
 die Cæsarei diplomatis executio, de-
 nuntiatis pro more pœnis, Decano &
 Capitulo demandatur. At rursus Epi-
 scopus & Capitulum ad Imperii comi-
 tia suas deferunt querelas, & deci-
 dendum postulant, utrum priusquam
 vel ex legitimis exemplis constet An-
 no 1624. de usu primarum precum circa
 Widenbrugensem Ecclesiam, vel legi-
 tima proferetur pacis interpretatio, pri-
 mariæ preces locum habere valeant?
 Agitabatur hæc quæstio non minus
 serio, quam erudite, ac præ ceteris
 quidam in favorem Cæsarei Senatus
 scriptum edidit, in quo præprimis sta-
 tuit, jus primarum precum originaliter
se

Sæc. XVIII. se extendere ad omnes Germaniæ Ec-
 A. C. 1725. clesias, illud vero in P. W. tam quoad
 immediatas, quam mediatas restringi,
 adeo ut illud nemo exercere queat, ubi
 ante annum decretorium illud non exer-
 cuit; hoc tamen verbum *exercuit*, non
 de actuali exercitio, sed de facultate
 exercendi intelligendum esse, quia hoc
 jus non est quotidianum, sed discon-
 tinuum, quod quamvis vel ob de-
 fectum occasionis, qua exerceretur,
 vel ob alias causas non fuisset exerci-
 tum, salvum tamen illud maneat, dum-
 modo jure ita exerceri potuisset, ut
 nullus in jure & possessione illud pro-
 hibendi fuerit &c.

§. XXXVIII.

Fundatio Burgholziensis Collegii.

*Meichlb. t. 2.
 Insr.*

Jam olim Joannes Baro de Frauen-
 berg Imperialis urbis Haagæ Do-
 minus annuente Alberto Bavarix Duce
 in Parochia Schwindaviensi Capitulum
 seu Ecclesiam Collegiatam S. Wolfgangi
 ad Burgholzium pro sex Canonicis e-
 jusque Præposito fundare decreverat;
 Tum temporis tamen hujus propo-
 fiti executionem præpediebant ingruen-
 tes belli tumultus, aliæque causæ.
 Tandem vero hoc anno R. D. Casparus
 Fichtner Schwindaviensis Parochus,
 ut

ut D. Wolfgangi cultum, & animarum salutem promoveret, præter quindecim florenorum millia suas ædes & hortum *pro perpetua dote in optima forma juris* cessit, ea lege, ut præter tres Canonicos ex redditibus Ecclesiæ S. Wolfgangi alendos adhuc alii tres unacum suo Præposito ex censibus quindecim millium florenorum sustentarentur. Hac super re tam Maximiliani Emanuelis, quam Caroli Alberti Baviaræ Electorum consensum, & licentiam, necnon Joannis Francisci Frisingensis Episcopi approbationem obtinuit, & pro his Canonicis, quos præsentandi jus Episcopis Frisingensibus competeret, hoc anno die 19. Junii sequentia præscripsit statuta. I. Ut non suscipiantur, nisi quos vel Universitas vel celebre quoddam Gymnasium testatur iis moribus & scientiis præditos, ut ad curam animarum approbari, & præclara proximo obsequia præstare valeant. II. Ut Curam arbitrio Parochi Schwindaviensis exercent, & sub ejus directione vivant, eique tanquam Rectori omnes Missas, quas vocant *votivas*, necnon fidelium oblationes tradant. III. Ut Communiter in ædibus, quilibet tamen in separato cubiculo vivant, & communi mensa fruantur. IV. Ut veste longa Clericali utantur,

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

O tur,

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

tur, uti præscriptum a S. Canonibus, in Ecclesia vero veste talari & superpelliceo cum insignibus S. Wolfgangi incedant. V. Ut quilibet singulis Septimanis in Sacello D. Wolfgangi tria celebret sacra, & pro Benefactoribus oret. VI. Ut Horas Canonicas ita celebrent, ut Matutinum & laudes hora sexta, media nona Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, & hora tertia Vesperas ac Completorium in Ecclesia publice, vel privatim vel alternatim recitent. VII. Ut præter liberas Missas quilibet Canonicus *pro Congrua in fixo* accipiat ducentos quinquagintaflorenos. VII. Ut ex Ecclesiæ S. Wolfgangi redditibus facta testata hujus Collegii serventur. Hæc statuta non modo Frisingensis Episcopus die 10. Octob. Anno 1726. rata habuit, sed insuper indulgit, ut hi Canonici ab annuo Cathedratico exempti essent.

§. XXXIX.

Dissensiones inter Præpositum & Wezlariensem Magistratum.

Novam dissensionis flammam Wezlaræ suscitavit fanaticus tuendæ sectæ ardor: Illius occasio inde desumpta est: Fruebantur Catholici ibidem per plura sæcula plena Religionis

suæ libertate, cujus quieta possessio utique per sectam recens/natam jure interrupti haud potuisset: nihilominus Lutherani suorum numero freti Catholicos a Magistratus officiis excludebant, & quantum in ipsis erat, civitatis etiam jure spoliabant: Nec his contenti erant, sed insuper omni data occasione Catholicos in suæ Religionis exercitio vel turbare vel illud ad arbitrium suum restringere moliebantur. Accidit quoque, ut hoc anno Jubilæo, Catholici supplicationem in festo Corporis Christi majori cum pompa celebrare decernerent, ac propterea quatuor Altaria ante diversas civium Catholicorum ædes erigere, & supplicantium agmen per varias urbis plateas ad PP. Franciscanorum Monasterium ducere statuerent. Hoc comperto mox die quinta Junii Waldschmidus Curix Tabularius unacum sex civibus Ecclesiæ Decanum adit, & de novitate queritur, eoquod Catholici a tempore reformationis nunquam extra Cæmeterium supplicationes suas habuissent, minus vero Altaria erexissent. Ad hæc respondit Decanus, has querelas primo veritati omnino dissonas esse; falsissimo enim spargi, quod Excellentissimus Comes Imperialis Cameræ Judex pro hac supplicatione

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII
A. C. 1725

catione usque ad PP. Franciscanos plateas adaptari jusserit. II. Liberrum esse Catholicis, cum supplicationum agmine vel per has, vel per alias plateas progredi. In hujus fidem Decanus Deputatis prælegit Senatus Consultum die vigesima secunda Martii Anno 1692. a Consule & Senatu subscriptum, & Wezlariensi sigillo firmatum, vi cujus Catholicis etiam quoad hanc supplicationem solemnem plenum Religionis suæ exercitium fuit assertum. Ad hæc Tabularius unguem ulceri infigi sentiens, respondit, hoc Senatus Consultum suo caruisse effectu, idque inde patere, quia, cum in vim hujus decreti quidam Catholicus Sacerdos in Ecclesia suggestum erigere, & concionari tentasset, & Lutherani eum unacum suggestu a templo transportassent, nullatenus Trevirensis Archiepiscopus reclamavit, aut hoc Senatus consultum opposuerit. Reponente autem Decano, quod Archiepiscopi atque Electoris clementia in Catholicorum præjudicium verti non posset, Tabularius sese excusabat, asserens, quod hæc non Magistratus jussu, sed privatim discursus gratia objecisset, de cetero autem opponi posset, quod hoc decretum duntaxat fuerit privatus tractatus a Magistratu sine civium

civium consensu factus, nunquam in Sæc. XVIII.
 usum deductus, & ob conditionem a A. C. 1725.
 Catholicis non adimpletam nullus.
 Loquentem interpellat Decanus, re-
 spondens, non esse meros tractatus ea,
 quæ S. Cæsareæ Majestati intimarentur,
 & ad publicam dictaturam deferrentur,
 sicut nec per meros tractatus Came-
 ræ Imperialis Tribunal ac PP. Jesuitæ
 Wezlarium fuissent introducti, atque
 admissi, mirum etiam esse, quod cives
 per triginta omnino octo annos contra
 Magistratum non reclamarint, haud
 ignari, hoc Senatus consultum (uti
 falso obtenditur) sine eorum consensu
 fuisse promulgatum, insuper notorium
 esse, quod hoc decretum potissimum
 partem in usum sæpius fuerit deductum,
 cetera vero respicere actus liberæ fa-
 cultatis, proin Catholicis liberum esse,
 an ob reverentiam Sanctissimi per ar-
 ctas plateas ire vellent, vel non, quin
 propterea juri per spatiosas prodeundi,
 quicquam derogaretur. His addebat,
 quod forte nunquam per ampliorem
 ambitum circumeundi consilium fuisset
 arreptum, nisi ad id hæc oppositio an-
 sam dedisset, suasissetque, libertate Ca-
 tholicis competente uti: denique Lu-
 theranis incumbere, ut probarent, in
 quibus Catholici eas, quas polliciti
 fuissent, conditiones non adimpleve-
 rint:

Sæc. XVIII. A. C. 1725. riat: Dato hoc responso Decanus Deputatos rogabat, ut his contenti, Catholicos in commune totius urbis detrimentum ad querelas suas coram S. Cæsarea Majestate exponendas non compellerent. Nec tamen his adhuc acquievere Protestantes, sed die 25. Junii *ad Corpus*, ut vocant, *Evangelicorum* libellum supplicem dederunt, in quo exponebant, quod Catholicici, postquam Anno 1690 summum Imperiale Tribunal Wezlarium fuerat translatum, nullas erexerint Aras, sed primum Anno 1702. illas ante ædes Catholicorum collocare præsumperint; reclamante Magistratu, postquam vero, inquebant illi, præstatum Tribunal fuerat apertum, quamdiu illud Wezlarie subsisteret, exercitium Religionis Catholicis pollicitum, quin desuper ulla ab eis querela fuisset mota. Nunc vero Hi ad nostræ etiam Ecclesiæ fores Pontificium Breve de Jubilæo affixere, ac insuper sub obtentu præfati Senatus-Consulti suam supplicationem extenderunt, quamvis ejusmodi factum intra 30. annos non fuerit in usum, vel unquam deductum, quod tamen Catholicici absdubio fecissent, nisi hoc decretum duntaxat sub mutuis conditionibus, quas tamen hi non adim-

„ple-
dem
testa
rent
peri
forte
tiffi
nua
hoc
si ill
affisi
se d
reba
ther
ut i
stan
men
hau
do
tum
dun
dun
nitu
cipa
fun
vert
testa
duc
peff
exe
fion
stat

„ple-

„plevere, fuisset concessum &c. Ean- Sæc. XVIII.
dem semper cramben recoxere Pro- A C. 1725.
testantes, nec aliud, quod excogita-
rent, habebant, nisi quod exponerent,
periculum esse seditiosi tumultus, si
forte Protestantium quis coram San-
ctissimo nec pileum detraheret, nec ge-
nua flecteret: Verum frivola hæc erant,
hoc enim periculum plane evanesceret,
si illi, qui ejusmodi supplicationibus
assistunt, vel reverenter se gerant, vel
se domi contineant; merito autem que-
rebantur Catholici, quod quidam Lu-
theranus eo temeritatis processerit,
ut in PP. Franciscanorum Templo ad-
stantes lapidibus impeteret, quod ta-
men facinus cum negare non possent,
haud aliter excusabant, quam asseren-
do, illius Auctorem ipsis esse incogni-
tum, in eum tamen sedulo inquiren-
dum, ac pro merito culpæ castigand-
um. Porro cuncta hæc effugia pe-
nitus dissiparunt Catholici, dum prin-
cipalis, cui Protestantes innitebantur,
fundamenti infirmitatem funditus e-
vertebant, demonstrantes, quod Pro-
testantes ex Decreto in usum non de-
ducto & conditionibus non adimpletis
pessime inferant, Catholicæ Religionis
exercitium, speciatim quoad Procef-
siones, Wezlarix non nisi in eo vigere
statu, quo ante præfatum Senatus-

Sæc. XVIII. Consultum ibidem observatum fuisse.

A. C. 1725. Id probabant Catholici ex eo, quod

I. Anno 1689. summi Tribunalis Cæsarei translatio Anno 1689. facta non fuerit, nisi sub expressa conditione, ut Catholicis plenum (non pristino usu, nec pace Westphalica limitatum) Religionis suæ exercitium concedatur. II. Quod tergiversante & pristino usui insistente Wezlariensi Magistratu, hoc tribunal quoad Judicialia non fuerit apertum, imo etiam die 7. Septembris Anno 1691. decretum, quod si Protestantes Religionis libertatem concedere renuerent, ad alium locum hoc Tribunal transferendum esset. III. Quod tandem non modo Consul & Senatores, sed & Cives die prima & 19 Aprilis Anno 1692. absolute, & sine omni conditione (prout acta §. 15. & 18. loquuntur) dummodo & quamdiu hoc tribunal subsistit, speciatim circa ejusmodi supplicationes polliciti sint, se non impedituros, quo minus hæc a Catholicis publice & per publicas urbis plateas, prout Catholicorum Superioribus videbitur, haberi possint. IV. Quod hoc ipsum Magistratus decretum seu declaratio per Cæsareum decretum Anno 1692. die 14. Maij Imperialibus Comitiis fuerit intimatum, & ea, quæ sola fuit promissa, conditio, si scilicet
hoc

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

hoc Tribunal Wezlariam fuerit translatum, exacte fuerit adimpleta. Postmodum Catholici demonstrarunt, quod post introductum hoc Tribunal contra pristinam observantiam post pacem Westphalicam non pauca immutata fuerint, & quidem I. quia, dum Anno 1689. de Imperialis Cameræ tribunali Wezlariam transferendo decernebatur, id sub ea actum est conditione, ut Religionibus in Imperio toleratis plenum (non autem per observantiam hucusque usitatam, vel per pacis Westphalicæ articulos restrictum) Religionis exercitium concedatur. II. Cum autem primo Wezlariensis Urbs hanc conditionem acceptare tergiversaretur, idem Tribunal quoad judicialia non aperiatur, quinimo die 7. Sept. Anno 1691. Cæsareo Commissionis decreto sancitum, quod si Wezlariensis Urbs sese ulterius opponeret, tunc de alio loco deliberaretur. III. Tandem vero Consul, Senatores & NB. Cives die 19. April 1692. quamdiu hæc Curia ibidem subsisteret, in hoc Religionis exercitium, nulla alia vicissim petita conditione, præter hanc: *dnmmodo hoc Tribunal aperiatur*; consensere, circa ipsas vero supplicationes § 15. & 18. declararunt, se non præpedituros, quominus Catholici per urbem & plateas

Sæc. XVIII (nulla excepta) & etiam per agros
 A. C. 1725 supplicantium agmina conducere, &
 Sanctissimum circumferre valeant. IV.
 Hæc Wezlariensis declaratio postea
 Cæsareo decreto die 14. Maij 1692. in
 Imperii comitiis publicata, & Tribu-
 nal ex decreto die 23. Martij 1693. a-
 pertum fuit, hocque actu unica illa,
 quæ ab Urbe petebatur, conditio est
 ad amussin adimpleta: Plura insuper
 vi hujus declarationis contra priorem
 observantiam, & pacis Westphalicæ
 statum fuisse immutata, demonstra-
 bant; cum enim Anno 1698. rursus de
 hoc Tribunali Wezlaria ad aliam Ur-
 bem transferendo ageretur, Wezla-
 rienses Cives die 15. Maij 1698. in suis
 ad Comitia literis pro retinendo hoc
 Tribunali inter alia exposuere, quod
*hoc Tribunal in sua Urbe conservandi stu-
 dio Catholicis plenarium Religionis exerci-
 tium concesserint, & plura circa Sacras
 supplicationes, & Scholas PRÆTER PRI-
 STINAM OBSERVANTIAM ET PACIS
 WESTPHALICÆ DISPOSITIONEM indul-
 serint: Ex his igitur inferebant Catho-
 lici, ipsis nonnisi per nefas & contra
 datam fidem concessum hoc Religionis
 exercitium restringi, & ad honestan-
 dam hanc injuriam immerito opponi
 pristinam observantiam. Verum Pro-
 testantes ad hæc, quid responderent,*
 in

in promptu nil habebant, eapropter Sæc. XVIII.
 duntaxat opposuere, plenum Religio- A. C. 1725.
 nis usum Catholicis fuisse quidem con-
 cessum, ad hoc tamen non exigi, ut
 suas processiones per omnes Urbis pla-
 teas extenderent, nec eas per integros
 30. annos illos extendisse, aliunde vero
 ob Tribunal Cæsareum in hanc urbem
 introductum Catholicis multa contra
 pristinam observantiam & pacis West-
 phalicæ statum fuisse indulta v.g. Jesuitas
 in urbem fuisse admissos, eis Arnsbur-
 geneses ædes urbi proprias gratis da-
 tas, concessam facultatem in eorum
 Collegio Templum ædificandi, Patri-
 bus Franciscanis partem aliquam illius
 Domus, quam Lutheranus Pastor in-
 coluerat, relictam &c. Verum insu-
 perhabitis hisce rationibus Catholici
 adhuc in quietâ juris sui possessione
 relinquebantur.

§. XL.

*Principes atque Illustris hoc anno
 denati.*

Hoc item anno invidia mortis non Falckenst.
 pauci vivis erepti sunt, qui no- Antiq.
 minis sui memoriam cum omni poste- Nordgav.
 ritate adæquarunt. Horum primus P. I. cap. 64.
 est Joannes Antonius Knebel a Cat- gag. 237.
 zenelenbogen Princeps & Episcopus
 Eystet-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725

Eystettensis: Natus is erat An. 1646. die 19. Octobris ex illustrissima familia Rhenana, dignissimus paternarum virtutum hæres. A primis adolescentiæ suæ annis amplissimæ, quam de se dederat, expectationi ita respondit, ut nemo uberius, nemo felicius. Humanioribus & Philosophicis diCIPLINIS in patria sua absolutis, Romam venit, ubi in Germanico Collegio sacratioribus vacavit scientiis, ibidemque Anno 1666. festo Omnium Sanctorum præsentibus summo Pontifice Alexandro VIII. Purpuratis, & Præsulibus non paucis orationem habuit, quæ, cum velut in compendio totum Joannem Antonium ejusque Sapientiam exhibeat, huc referri meretur: En illius tenorem!

*Duo sunt, Beatissime Pater, Regna
Divinitatis: Naturæ & Ecclesiæ.*

„Regnat in natura Deus, cum per
„naturam innotescit, regnat in Eccle-
„sia, cum per Ecclesiam amatur, hoc
„enim unice propositum est regnanti
„Deo, innotescere & amari. Sed Di-
„vinitas cum tota prodigium sit, non-
„nisi per prodigia utrumque regnum
„administrat. Prodigia autem, quibus
„naturam tuetur, sunt vires elemen-
„torum,

„torum: & prodigia, quibus Ecclesiam
 „sustinet, virtutes dixerim Sanctorum. **Sæc. XVIII.**
 „Nam revera certum immortalitatis **A. C. 1725.**
 „prodigium virtus est, quæ nihil nisi
 „immortale spirat. Quare cum ho-
 „dierno die res gestæ omnium Sancto-
 „rum in Ecclesia commemorantur, o-
 „peræ pretium duxi, omiſſa natura,
 „hæc Ecclesiæ prodigia breviter ex-
 „ponere, ut pariant alterum prodi-
 „gium, videlicet ex admiratione imi-
 „tationem. Habent plurimum admira-
 „bilitatis virtutes hominum Sanctitate
 „præstantium, gemina ex causa. Pri-
 „mum Consilio Dei, qui vult esse mi-
 „rabilis in Sanctis suis; deinde magni-
 „tudine rerum ab ipsis gestarum, ut
 „propterea eorum vita nuncupetur a
 „Spiritu sancto vita mirabilis. Itaque
 „primarium regnantis Dei arcanum est,
 „ut sese in sanctis Viris exornandis
 „admirabilem præbeat. Nam quem-
 „admodum in eo maxime Principum
 „diligentia collocatur, ut quos regiæ
 „gratiæ, negotiisque publicis admo-
 „vent, singularibus & a vulgo remotis
 „beneficiis prosequantur, ut quodam-
 „modo Principis, si non dignitate, certe
 „specie quadam dignitatis repræsen-
 „tent. Ita Principum arbiter & lex
 „Deus Sanctos Viros a mortalium vul-
 „go per insuetas prærogativas secernit,
 „quasi

Sæc. XVIII. „quasi benevolentia Divinae Dei que ne-
 A. C. 1725. „gotio admotos. Dei namque nego-
 „tium est Sanctitas, qui sic mortali-
 „tatem æstimat, ut eam pompa im-
 „mortalitatis exornet. Sic Divini
 „majestas Principatus per excellentiam
 „Sanctorum reverentius adoratur. Ex
 „hoc Dei consilio profecta est rerum
 „ab ipsis gestarum magnitudo, quæ
 „tanta est, ut, sive multitudinem, sive
 „varietatem, sive gravitatem specte-
 „mus, Ecclesia merito nuncupari pos-
 „sit ager prodigiorum, & palæstra om-
 „nipotentium. Quot vestigia in ea
 „impressere, quot protulere verba, quot
 „facta edidere sancti Viri, tot miracula
 „effulserunt. Cælum, terra, elemen-
 „ta, inferi ab eorum nutu pendere vi-
 „debantur, & potentia Sanctorum vi-
 „debatur potentia dignitatis; tantum
 „Sanctitati tribuit Deus & merito, siqui-
 „dem eadem mensura metitur ipse vitam
 „Sanctorum, qua ipsi metiuntur glo-
 „riam Dei. Sancti Viri studio Divinitatis
 „abnegant, contemnunt, & quodam-
 „modo dedignantur seipsos per damna,
 „per probra, per tormenta, velifican-
 „tes ad vellus Divini honoris non ra-
 „piendum, sed servandum. Sic Deus
 „per beneficia, per prærogativas, per
 „miracula anhelat ad Sanctorum glo-
 „riam propagandam. Certat cum
 „San-

„Sanctitate Divinitas, Sanctitas vir-
 „tutes exercet, ut divinitatem morta-
 „libus commendet; Divinitas prodigia
 „exhibet, ut sanctitatem apud morta-
 „les coronet. Dixi.,

Sæc. XVIII.
 A. C. 1725.

Postmodum egregius hic Adole-
 scens Roma digressus erat, Franciam &
 Hispaniam peragravit, non multa viden-
 di studio, sed in multis proficiendi desi-
 derio. Inde Eychstadium reversus,
 cum morum comitate, tum virtutum
 vere regiarum excellentia omnium in
 se amorem rapuit; unde a Marquardo
 Episcopo secretioribus adhibitus con-
 siliis, Augustæ & Eychstadii Canonicus
 assumitur: Paulopost ab eodem Epi-
 scopo ad Leopoldum Imperatorem,
 S. R. J. Electores ac Principes in pu-
 blicis, iisque gravissimis negotiis able-
 gatur, non sine maximo utriusque Ec-
 clesiæ commodo: Mortuo autem Joan-
 ne Martino Eychstadiensi Episcopo An-
 no 1705. die nona Februarii Episcopa-
 lem Insulam obtinuit, anno sequenti
 solemniter inauguratus. Tum vero
 hæc Diæcesis aliam induere faciem
 videbatur: Solutum est æs alienum,
 tributa vel mitigata, vel penitus sub-
 lata: Restauratum Palatium a Suecis
 dirutum, Erectum nosocomium pro
 emeritis Sacerdotibus, & Seminarium
 pro erudienda juventute & pro Natione
 Scotica,

Sæc. XVIII. Scotica, & dotatum Cænobium pro
 A. C. 1725. Monialibus. Aucta demum Diæ-
 cesis redditibus, & bonis. Præterea
 sublevabantur eleemosynis pauperum
 miseræ, exurgebant ubique ædificia,
 ceu totidem pietatis, ac liberalitatis
 suæ monumenta: Ipse vero utebatur
 frugali mensa; temperantiæ & sobrie-
 tatis studiosissimus: Eminēbat pietate
 in egenos, in Neophytos liberalitate,
 erga probos benignitate, & in impro-
 bos severitate. Erat sinceritatis veri-
 tatisque amantissimus, & adulantium
 ac impostorum hostis juratus. Obiit
 tandem meritis plenus die 27. Aprilis
 anno ætatis suæ septuagesimo nono,
 postquam, quicquid gemmarum, &
 suppellectilis pretiosæ possederat, in
 pauperes transcripsisset, condito hoc
 testamento:

„Notum facimus, quod omnia no-
 „stra bona, præsentia & futura, pe-
 „cuniam, gemmas, uniones, picturas,
 „statuas metalicas & pretiosa quæ-
 „cumque natura & arte rara &c. pau-
 „peribus & piis causis, omni, quo fieri
 „potest, legitimo modo, hisce done-
 „mus, cedamus & translata velimus,
 „ita tamen, ut modo post obitum no-
 „strum relicta quæcumque pretiosa no-
 „stra, quanti plurimi divendantur, &
 „ad normam & methodum in testa-
 „mento

„mento nostro præscriptam, vel adhuc
 „scribendam, omnis deinde collecta
 „summa, (exceptis aliquot mille flo-
 „renis, familiæ nostræ in remunera-
 „tionem acceptorum inde beneficiorum
 „legandis) pauperum indigentæ, ac
 „piis nostris foundationibus applicentur;
 „reservata interea nobis, quoad vivi-
 „mus, facultate, pro bene meritis &
 „convenientia, etiam alias quasdam
 „donationes faciendi, ac pro exigentia,
 „vel majori utilitate, de dictis pretiosis
 „quædam commutandi, vel vendendi.
 „Ex monte S. Willibaldi die 26. Fe-
 „bruarii 1725. „

Sæc. XVIII.
 A. C 1725.

Porro Successorem habuit Fran-
 ciscum Ludovicum de Schenck a Ca-
 stell die tertia Julii electum.

Pari fato die 24. Augusti vivis ere-
 ptus est Ferdinandus Comes de Berlo,
 qui Namurcensem Infulam recusante
 Alberto Trazagnies Vice - Comite de
 Billteyn Præposito ejusdem Ecclesiæ,
 obtinuit, & Anno 1697. Sacratu fuit
 Episcopus, antea Canonicus S. Lam-
 berti Leodii & Archidiaconus Cam-
 pinæ. Is animarum Zelo & restau-
 randæ disciplinæ Ecclesiasticæ studio
 inclutus, Anno 1720. decreta Syno-
 dalia Namurcensia recens edi curabat.
 Successit eidem Thomas Joannes de
 Strickland a Si Zergh Nobilis Anglus
Hist. Eccles. Tom. LXXII. P anno

Sæc. XVIII. anno sequenti die 20. Januarii a Sacra
A. C. 1725. Sede confirmatus.

Tum temporis eandem æternitatis
 viam ingressus est Mense Februario Episcopus
 Gravinæ Lucini apoplexia ta-
 ctus, necnon Joannes Michael Episcopus
 Tridentinus S. R. J. Princeps
 Comes de Spauer, annos natus
 octoginta septem, cui successit Comes
 de Wolckenstein.

Inter Principes hoc anno defunctos
 primum locum sibi vindicat Petrus
 Aleziovizius Rufforum Imperator. Hic
 inter gentem suam rarissimo exemplo
 plurima, cuncta vero non minus glo-
 riosa, quam proficua confecit itinera,
 sæpiusque unō anno quatuor orbis pla-
 gas emensus, ex illis ac præcipue ex
 Europa secum in patriam transtulit,
 quicquid in militari disciplina exquisi-
 tum, atque in civilibus, politicisque
 artibus excellens apud cultiores Na-
 tiones hauserat, eo fine accitis maxi-
 mo pretio celeberrimis Nauticæ, ar-
 chitectonicæ, mechanicæ & militaris
 scientiæ Magistris; inde ergo accidit,
 ut Russiam e barbarie extraheret, toti
 mundo conspicuam redderet, atque ad
 summum potentiæ & gloriæ apicem
 primus erigeret. Accessit armorum
 felicitas; occupatis enim integris Pro-
 vincijs, & domito Carolo XII. Sueco-
 rum

rum Rege, Heroe ab aliis vinci nescio, totam suam vitam inter trophæa exegit, a nullo, nisi a morte devictus. Hoc enim anno stranguriæ morbo oppressus, exactis quinquaginta tribus vitæ suæ annis occubuit: Post ejus obitum imperii habenas capessabat Petrus II. quem Alexius infelix Petri I. Filius ex Carolina Welferbyto - Blanckenburgica Conjuge sua susceperat. Eodem anno die decima quarta Januarii naturæ debitum solverat Natalia Petrowina Petri I. filia nata minima.

Die etiam quarta Januarii Viennæ obiit Princeps Vidua Abaffi, Filia Bethlemi Gaboris Transylvaniæ Principis, sequenti autem die decessit Ludovici Principis Anhaltino - Cothani Conjux, & die decima sexta Junii Marcus Otoboni Dux de Fiano annos natus sexaginta novem. Præterea funesta prorsus morte sublatus est Ranzovius S. R. J. Comes senior, cujus vitæ ejus Frater natu minor insidiatus, quemdam Centurionem Prætorium subornabat, ut illum clam interficeret: Detecto autem scelere Sicarius capite plexus est, alii vero criminis conscii perpetuo carere, bonorumque proscriptione multati sunt. Præter hos obiere pariter Victor Amadæus Theodorus Sardiniae Regis Nepos, Enno Augustus Frater

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII. unicus Principis Frisiæ Orientalis, Joannes Emanuel Pachæco Acunæ Dux de Escalone olim in Catalaunia, Aragonia, Neapolitano & Siculo Regno Pro - Rex, ac denique Friderica Augusta Schwarzenburgica Princeps.

§. XLI.

*Scriptorum Ecclesiasticorum opera
& decessus.*

*Elog. du
R. P. de
S. Marth.*

Non pauci ex Scriptoribus Ecclesiasticis hoc anno in mortis prædam cessere. Hos inter primo loco recensendus venit Dionysius San - Marthanus Prior Generalis Congregationis Benedictinæ S. Mauri: Hic Parisiis Anno 1650. natus, ac decimo octavo ætatis anno S. Benedicti institutum professus, insigni pietate, doctrina, & prudentia præclarum sibi nomen comparavit, splendidissimum Ordinis sui decus, ac lumen. Nulli pepercit labori, ut suos Religiosos eo permoveret, ut Constitutionem *Unigenitus* sincero recipere animo: Nec penitus inanis erat ejus labor, ipse enim suo exemplo horum plusquam quadraginta induxit, ut sequenti formulæ secum subscriberent: *Nos subscripti, acceptis Romæ litteris intelleximus, summum Pontificem Benedictum XIII. post P. P. Clementem XII.*

& Innocentium XIII. Prædecessores suos Sæc. XVIII.
 declarasse, quod Bulla Unigenitus nulla- A. C. 1725.
 tenus evertat gratiam ex se efficacem, nec
 adversetur doctrinæ SS. Augustini & Tho-
 mæ, illum quoque viva voce declarasse, quod
 dicta Constitutio in nullo capite a Regulis
 morum & disciplinæ aut a dogmate
 a S. Carolo fidelibus, approbante S. Sede,
 tradito recedat, eapropter declaramus, nos
 Bullam Unigenitus libentissime ea, qua
 par est obedientia, & in sensu, in quo summus
 Pontifex Benedictus XIII. eam declarat,
 recipi vult, & recipit, & nos reci-
 pere. Ita censemus, ac ita docere parati
 sumus. Facta hac subscriptione dignif-
 simus hic Vir paulopost trigesima Mar-
 tii animam suam Deo reddidit. Fe-
 runt, ipsum decessisse ex mærore inde
 concepto, quod suam Congregationem
 per Breve Pontificium Sacræ Sedi plene
 reconciliatam videre non potuerit. Ut
 ut de hoc fit, id omnino certum est,
 quod hic Præpositus in urgenda hac
 subscriptione adeo non defecerit, ut
 etiam a suorum quibusdam excessisse
 arguatur. Ceterum insignis erat pau-
 perum Patronus, quibus non raro quic-
 quid charum habebat, imo vestes quo-
 que suas a corpore detractas elargie-
 batur, adeo ut cuidam mendico, cum
 cetera deessent, numisma aureum, quod
 sibi a Papa donatum erat, erogaret.

Sæc. XVIII

A. C. 1725

Porro ex ingenii sui monumentis, quæ posteritati reliquit, commendantur præcipue ejus tractatus de Confessione auriculari contra Calvinistarum, præsertim Dallæi errores, Responsum ad querelas Protestantium ob existimatam persecutionem in Galliis, Discursus circa Angliæ invasionem a Principe Arausico tentatam: Plures Epistolæ ad Abbatem de la Trappe, oratio funebris in exequiis Bethuniæ Abbatissæ, Vita Cassiodori unacum compendio Historiæ illorum Principum, quibus Cassiodorus sua servitia impendit. Historia S. Gregorii Magni. Reflexiones in Epistolam Germani Abbatissæ circa editionem tomi ultimi operum S. Augustini: Epistola cujusdam Doctoris Sorbonici circa reflexiones cujusdam Theologi contra Benedictinos, & Opera omnia S. Gregorii M. recens edita, denique operam suam contulit ad primos quatuor tomos Galliæ Christianæ auctæ & emendatæ. Adscribitur etiam eidem epistola ad Abbatem de la Trappe, & collectio quarundam literarum circa epistolas ad eundem Abbatem scriptas. Il. Carolus Ruæus Jesuita, qui præter sermones panegyricos, funerales, quædragesimales, Adventuales, aliasque orationes Sacras etiam edidit Libros IV.

carminum & tragœdiarum necnon Virgillum in usum Delphini; vixit annos octoginta duos mortuus die 27. Maij. III. Caspar Feuille Ord. S. Dominici, qui scripsit Theologiam intellectus & Cordis. IV. Franciscus Gacon Presbyter Oratorii, qui vulgavit *Poetam sine fuco*, satyram contra Bossuetum, Homerum vindicatum, fabulas de la Mothe, annotationes in Anacreontem &c. V. Julianus Garnier Benedictinus, qui primos duos tomos Operum S. Basilii in lucem emisit, quam elegantissimam editionem Prudentius Marau complevit. VI. Franciscus de Choisi Bajocensis Ecclesiæ Decanus, qui elucubravit quatuor Dialogos de immortalitate animæ, de existentia & providentia Dei, Historiam Ecclesiasticam, & Historiam itineris ad Siamense Regnum, ad cuius Regem unicum Equite Chaumontio ablegatus erat. VII. Ludovicus Doucin Jesuita, qui posteris reliquit Historiam Nestorianismi, & Origenismi, seu turbarum, quæ in Ecclesia ob Originem, ejusque doctrinam exortæ sunt. VIII. Jacob Echard Dominicanus, qui duos tomos Scriptorum sui Ordinis concinabat. IX. Zacharias a S. Joanne Baptista Carmelita Excalceatus, qui scripsit dissertationes Theologicas de

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

Deo, ejusque attributis, de Augustini doctrina contra Pelagianos, & de Gratia Christi, de motibus voluntatis & vera libertate contra Jansenium, de schismaticis Orientalibus præcipue de Armenis, de Primatu summi Pontificis & ejus auctoritate circa fidei controversias, tractatum de usura, dissertationem de Bulla Sabbatina, & cursum integrum Theologiæ moralis. X. Cherubinus a S. Joseph ejusdem Instituti Scriptor celeberrimus & linguarum orientalium, ac Rabinicarum traditionum notitia insignis qui Bibliothecam Criticam Sacram circa omnes ferme Sacrorum librorum difficultates quatuor majoris molis voluminibus comprehensam prælo commisit, eamque Clementi XI. Pontifici nuncupavit, alios adhuc octo ejusdem Bibliothecæ tomos editurus, nisi Bruxellensi urbe a Fœderatorum copiis occupata in Provinciam suam Aquitanam remeare compulsus fuisset, non sine magno rei literariæ detrimento, cum Burdigalæ deessent Typographi, qui aut characteres Hebraicos haberent, aut in iis edendis exercitati essent; cumque ætas propecta aliorum transmigrare non permetteret, sequentium octo voluminum editio præpedita fuit. Auctor tamen aliud opus ad omnium captum magis accommodum

dum publicis juris fecit, sub titulo *Summa Criticæ Sacræ*, cujus novem Sæc. XVIII.
A. C. 1725.
tomi Burgidalæ prodierunt. Edidit quoque plura Theologica de scientia Dei, de Divinorum decretorum efficacia & prædestinatione, de summo Pontifice, de Pœnitentia, de Missa, Eucharistia, Communione & liturgiis. His accedit Physica, & plura alia de Geometria, Astronomia, Optica, Musica, Geographia, Arithmetica, necnon de Rubricis tum Missæ tum Divini Officii, præter alia miscellanea, quæ omnia ab eo exarata in Burdigalensi Carmelitarum Excalceatorum Conventu asservantur.

§. XLII.

Scriptores A catholici hoc anno defuncti, eorumque opera.

Inter Scriptores A catholicos, qui hoc anno decessere, celebriores sunt.
I. Paulus de Rapin de Thoyras ex illustrissima familia ortus, qui scripsit Historiam Angliæ decem voluminibus, necnon dissertationem de Wighs & Torrys præter excerpta ex Anglicis actis Rymeri: Pater Niceron hunc Scriptorem valde commendat, ex eo, quod a partium studio alienissimus fuisset. II. Martinus Chladenius, qui edi-

Sæc. XVIII.
A. C. 17. 6

dit Institutiones homiliticas & exegeticas, necnon Theologiam moralem. III. Joannes Meier Calvinista, qui vulgavit opusculum de sceptro Messiae, librum de origine & causis Festorum, de Templo Ezechielis &c. IV. Caspar Calvoer Lutheranus, qui posteris reliquit Rituale Ecclesiasticum, necnon schismata & controversias præcipuas, quæ Ecclesiam ab Ascensu Domini usque ad Sæculum XVII, agitarunt. V. Matthias Hiller, qui composuit tractatum de Arcano Keri & Kethib, necnon Institutiones linguæ sanctæ, Onomasticon Sacrum, Sciapragraphiam grammaticæ hebraicæ, lexicon latino-hebraicum præter plura alia.

§. XLIII.

Sacræ Congregationis consultatio circa duodecim Noailii Cardinalis articulos.

Interim Cardinales pro dijudicandis Noailii articulis designati frequentes habuere conventus. Varia erant eorum judicia; omnes tamen in eo convenere, *Breve Apostolicum*, quo præfati articuli approbarentur, *nec dandum, nec promittendum esse*, solus Cardinalis Davia Noailio aliquantulum favere videbatur: Scotus tamen &

Ori.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Origius Cardinales censebant, a Noail-
lio præprimis petendum, ut Constitu-
tionem *pure ac simpliciter* recepturum
se, publicis literis profiteretur. Id eo
certius a Noaillo sperandum ajebant,
quo luculentius subjectionis suæ speci-
men dederant apud Sequanam Epi-
scopi, qui in Provinciali sua Synodo,
quam Avenione die 25. Octob. habue-
re, declararunt, Constitutionem hanc
esse aggerem, ad sistendum erroris
progressum oppido necessarium. Cre-
debatur etiam Noaillius omnem obti-
nendæ approbationis spem abjecisse,
postquam ejus articulos Regio jussu
suppressos, laceratosque noverat. Ipsius
quoque consiliis prorsus contraria erat
Bentivolii Cardinalis relatio in publico
Patrum confessu perlecta. Hic enim,
dum adhuc in Galliis agebat, Romam
perscripserat, Jansenistas, Quesnelistas
& Noaillistas esse homines nullius fidei,
& nullius conscientiæ, quibus haud
magis, quam olim Priscillianistis fiden-
dum esset. Acrius vero horum arti-
culorum approbationi obsistebant, Ro-
haniaus & Bissyus Cardinales, necnon
Andreas Hercules de Fleurij Episco-
pus Foro - Juliensis, quorum jussu ce-
teris Consultoribus communicatum erat
scriptum latino sermone conceptum,
quo solidissimis rationibus comproba-
tum

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

tum erat, hosce articulos æquivocis
verbis esse expositos, Constitutionis
explicationes ideo duntaxat efflagitari,
ut eadem tacite non sine gravi Clemen-
tis XI. defuncti injuria revocaretur, ex
ipsa denique articulorum approbatione
adeo pacem sperari non posse, ut nil
certius timendum foret, quam dissidia
magis acerba, novamque factionem. Ea-
propter hujus Congregationis Patres
die Februarii decidebant, rejiciendum
esse scriptum illud, quod Noaillius Car-
dinalis Romam misisset, e contrario au-
tem ab eodem Cardinale aliud & qui-
dem illud, quod Roma ad illum erat
transmissum, esse promulgandum, in
quo hæc legerentur verba: *Accepto sin-
cero animo Constitutionem Unigenitus pure
& simpliciter, & quicquid contra eam
scripsi vel feci, id totum damno ac retracto,
Conclusum insuper . . . ante publicatio-
nem mandamenti nec dandos nec promitten-
dos esse articulos, sed post publicationem
mandamenti ad mentem Sanctissimi sub ti-
tulo non explicationum, sed articulorum
esse dandos.*

§. XLIV.

*Hæc S. Congregationis decisio aliquan-
tum moderata.*

Hucus.

Hucusque Cardinalis Pollignacus neutri parti adhærere videbatur, cum autem a Borbonio Duce iterato literas recepisset, quibus ei injunctum, ut articulos a Rege rejectos Romæ approbari præpediret, aliunde autem Noaillium S. Sedi reconciliandi desiderio flagraret, aliam, mitioremque viam inire statuit: Noverat perbene, Noaillio nil molestius accidere, quam si ea, quæ ipse tuta conscientia hucusque scripta actaque reputabat, juberetur damnare & Constitutionem *pure ac simpliciter* acceptare, hinc Congregationis Patres efflictim rogabat, ut pacis amore quædam in mandato duriora temperarent. Annuere hi ejus precibus & in mandati formula verbum *damno* in illud *revoco* immutarunt, sed loco *pure & simpliciter* poni permiserunt *sine ulla restrictione ac relatione*. Nihilominus altera mox die Pollignacus exposuit, post factam hac super re maturiorem deliberationem sibi videri, adhuc alia quædam asperiora esse lenitatis condimento mitiganda. Rursus igitur Patres die 12. Februarii Conventum habuerunt, & Pollignaci voto assensere. Hæc Patrum moderatio placuit tum summopere Pollignaco, qui etiam palam pollicitus est, se Sanctitatis suæ nomine a Rege petiturum, ut suprema
sua

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. sua auctoritate hunc reconciliationis
 A. C. 1726 modum promovere velit. Nec promif-
 sionis facilitati deerat fidei constantia;
 Hic enim a Rege jussus erat, ut Pon-
 tificem certiozem faceret, quod Rex
 hoc scriptum post factas in eo immu-
 tationes omnino ratum acceptumque
 haberet. Verum non ea erat Noaillo
 sententia; cum enim ibi suos articulos
 nullatenus approbari, nec Pontificium
 Breve sperari posse deprehenderet, nisi
 prius Bullam sine ulla restrictione ac-
 ceptaret, hinc suæ formulæ, quam
 antea Romam miserat, pertinacius in-
 stitit, quamvis illam a Romana Curia,
 & Gallis Cardinalibus fuisse rejectam
 nosset.

§. XLV.

*Noaillius Cardinalis suam oppositio-
 nem excusare intentus.*

Jam firmum fixumque habuit Noail-
 lius Cardinalis, ut formulam Roma
 sibi transmissam penitus rejiceret, ne-
 quidem admittis, quæ addebantur,
 temperamentis: Verebatur tamen, ne
 suo adversus mitissima Pontificis &
 S. Congregationis consilia præfracto
 animo in plurimorum vituperationem
 veniret, eapropter edito palam scripto
 suam agendi rationem vindicare nite-
 batur,

batur, atque eandem ob causam has Sæc. XVIII.
ad Papam literas dabat. A. C. 1726.

Sanctissime Pater!

„Ergone, quem amas, deseris, &
„afflicto afflictionem addis? Pulsat,
„petit, & obtestatur, humillime sup-
„plicat Sanctitati vestræ per Jesu Christi
„misericordiam, ut tam ipsi, quam e-
„jus gregi sibi concredito necessariam
„exhibeas opem. Ergone de tua pie-
„tate nil sperandum? Promisisti auxi-
„lium, dummodo illud humiliter &
„modeste, sine contentione & asperi-
„tate peteretur: Id etiam me fecisse
„testantur omnes meæ literæ intra
„biennium datæ, has Sanctitas sua æ-
„quas habuit, & si eas rursus percur-
„rere dignabitur, censebit utique eas
„a contentionis & arrogantiae spiritu
„vel maxime alienas fuisse: Exposui
„insuper summo animi candore mala,
„quæ sine conscientiae remorsu diffi-
„mulare haud potui, nil eorum præ-
„termisi, quibus sincerum meum affe-
„ctum, & Sanctitati suæ satisfaciendi
„desiderium testatum redderem. Quæ
„a me Sanctitatis suæ nomine exige-
„bantur, nulla mora transmissi. & si-
„mul ea, quæ rerum vicissitudini, &
„animorum dispositioni minus conve-
„nire arbitrabar, necnon difficultates,
„quæ

Sæc. XVII
 A. C. 1726.

„quæ me terrerent, mox exposui, &
 „quidem eo fine, ut ingenuæ non mi-
 „nus ac expeditæ obedientiæ specimen
 „darem, eoque magis Sacerdotalis ac
 „paterna Pontificis charitas eluceret;
 „Nec id displicuit Sanctitati vestræ;
 „Utinam stylo ferreo, non vero imbe-
 „cilli meo calamo exarari possent San-
 „ctitatis vestræ verba amore vere pa-
 „terno plena, quibus ante omnium
 „oculos positum erat, quod fidelissime
 „ac sæpissime cuncta ejus jussa, imo
 „plus, quam jussus essem, executus
 „sim. Sed quam mercedem tam hu-
 „milis obedientia retulit? Liceat Viro
 „doloribus presso suam deplorare for-
 „tem: Parum abfuit, quin ab homi-
 „num classe excluderemur; amisimus
 „mercedem: moliti sunt nos di-
 „gnitate nostra exuere, & quidem eo
 „tempore, quo haud immerito omnia
 „sperare licuisset, novis procellis ob-
 „ruti sumus. Nihilominus Sanctitatis
 „vestræ pietatem implorare non ces-
 „sabo, etsi mihi non occurrat, quo-
 „modo paternum ejus cor emollire, &
 „ad calamitatis meæ miserationem
 „commovere valeam: Nil ultra dicam
 „de gregis mei lacrimis ac desolatione;
 „jam sæpius, nunquam tamen satis,
 „hæc exposui, veritus, ne aut me ex-
 „cusare, aut alios accusare videar:
 „fateri.

„fatendum tamen, maxime deploran-
 „dam esse nostram conditionem, vel
 „ideo, quia ipsam vulnerum nostrorum
 „acerbitatem detegere, non audemus,
 „& iis, quæ manifestamus, remedium
 „nec adeo promptum nec adeo potens,
 „uti necesse foret, præsto est. Totum,
 „quod vere dicere valeo, est, quod
 „nostra mala per ipsam moram graviora
 „fiant, & tandem eo deveniant, ut
 „ea nec amplius pati, nec remedia,
 „quæ adhibebuntur, sustinere poter-
 „mus. Dissipatus est Ecclesiæ grex,
 „palam in vectum est schisma; rupta
 „sunt sacrata Hierarchiæ vincula, Ec-
 „clesiæ Sacramenta pedibus concul-
 „cantur, absolutiones conferuntur a
 „Sacerdotibus omni jurisdictione de-
 „stitutis, & tandem evenit id omne,
 „quod non ita pridem prædixeram:
 „Porro Duodecim articulos ad Sancti-
 „tatem vestram transmisi: hos quoque
 „non modo ab erroris nota immunes,
 „sed & sanos, Orthodoxos esse, eos-
 „que præcipua doctrinæ Catholicæ ca-
 „pita continere, post serium ac matu-
 „rum examen, ipsamet Sanctitas vestra
 „censuit. Et tamen iidem articuli ceu
 „per Bullam damnati rejiciuntur, sub
 „prætextu, quod per authenticam San-
 „ctitatis vestræ declarationem nondum
 „fuerint approbati. Quo hæc tendant,

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

Q

„ne-

Sæc. XVIII.

A. C. 1726.

Sæc. XVIII. „notum est Tibi, Beatissime Pater,
 A. C. 1726. „mihi quoque haud incognitum est,
 „contra me solum hanc tempestatem
 „fuisse concitatam, quamvis neminem
 „læserim, minus vero seduxerim: Si
 „tamen propter me vel veritas Catho-
 „lica, vel Christi Domini Ecclesia ali-
 „quod damnum pateretur, mallet
 „potius mortem oppetere, imo
 „peroptarem, ut nequidem natus
 „fuissem. Attamen quicquid fe-
 „cero, aut quocunque me vertam,
 „semper tamen me ceu hæreticum vel
 „schismaticum proclamabunt; pro tali
 „enim me haberi, haud parum com-
 „modi affert turbidi genii hominibus,
 „Grates tamen Deo immortalis, quod li-
 „berum accessum invenerim apud Pat-
 „rem tenerrimum, qui compati dignatur
 „super contritione Joseph: Pollicitus
 „est, se usque ad mortem suo patro-
 „cinio & amicitia honoraturum dile-
 „ctum filium suum, & quamvis me in-
 „tegræ hostium phalanges circumda-
 „rent, nunquam tamen, cum sit Pater
 „pietate plenus, innocentis Filii op-
 „pressorem fore. Peream tamen sub
 „tuo Pontificatu, ita est, peream, etiam
 „Protector & defensor meus sis. Quid
 „enim juvat vivere, dum Ecclesia tur-
 „batur, ejusque doctrina, & sanctif-
 „simæ veritates periclitantur? Ah!
 „Sano

„Sanctissime Pater, si id mei amore Sæc. XVIII.
 „non facis, saltem ob urgentissimas has A. C. 1726.
 „rationes exurge; nec permitte, ut
 „apud Infideles quærat, ubi est Deus
 „vester? jam enim vix non dixeram,
 „ubi est D. Petri Cathedra? ubi man-
 „suetudo Christi? ubi viscera miseri-
 „cordiæ? Scio, quod me diligas, &
 „quod ames Ecclesiam: Id scio, & de
 „hoc certus sum. Eapropter per Christi
 „judicium & misericordiam eandem
 „charitatem imploro, & te obtestor,
 „ut nostri miserearis, nos adjuves, nec
 „permittas, ut suo successu careant
 „nostra vota; Constitutionem enim An-
 „no 1720. in vero & legitimo sensu, &
 „postea in eodem sensu & spiritu, quo
 „Sanctitas sua eam recipi vult, ac-
 „ceptavi, & sæpius declaravi, quod,
 „si in meis scriptis & præsertim in mea
 „Instructione Pastoralis quicquam San-
 „ctitati vestræ minus probatum reperia-
 „tur, illud ceu a mente & sententia
 „mea alienissimum rejiciam. Quid
 „ultra a me exigiqueat, plane nec ego,
 „nec fors alii agnoscunt. . . . Non
 „jam de mea, sed de Ecclesiæ causa
 „agitur, hanc ut suæ tranquillitati re-
 „stituerem, omnes intendi nervos, &
 „si adhuc sunt, qui turbas concitant,
 „hos quoque omnes ad Sanctitatis ve-
 „stræ pedes reducere conabor. Atta-
 „men

Sæc. XVIII. „men, Sanctissime Pater, quamvis ex
A. C. 1726. „toto corde tuo pacem desideres, &
 „Regis Christianissimi Administer eam
 „pariter procuret, tuisque votis ad-
 „spiret. quamvis eadem pax unica sit
 „votorum meorum meta, & ego quic-
 „quid Sanctitas vestra a me exegit, fi-
 „delissime executus sim, nihilominus
 „hæc pax tot votis exoptata, & tam
 „facile recuperanda, nondum compa-
 „ret. Quid ergo causæ subest? Hanc
 „Sanctitas sua non ignorat, eamque
 „facile addiscere poterit, ab iisdem
 „met, qui tam aperte me insectantur,
 „& tam ore, quam calamo pacis con-
 „silia a Sanctitate vestra propolita e-
 „vertere certant. Ab his inquam, ad-
 „discere poterit, an ipsi aut quisquam
 „que alius vel unicum ex illis, qui
 „Constitutionem acceptare renuunt,
 „ad obsequium revocare possent, nisi
 „Sanctitas vestra Constitutionis ex-
 „plicationem toties & tam submisse
 „petitam concesserit. Ceterum, dum
 „animo coram Christi Domini Tribu-
 „nali jam prope consistam, quamvis ob
 „alia mea crimina contremiscam, id
 „tamen mihi solatio est, quod coram
 „Sanctitatis vestræ Tribunali, & juxta
 „conscientiæ meæ testimonium nil eo-
 „rum prætermiserim, quæ ad solidam
 „pacem Ecclesiæ procurandam, & ad
 „veri-

„veritatem ab erroris periculo eximen- Sæc. XVIII.
 „dam conferre poterant. Tuum est, A. C. 1726.
 „Sanctissime Pater, ad Divini Judicii
 „trutinam, & in conspectu Christi Do-
 „mini cuncta sedulo examinare, an
 „omnia, quæ præsentis Ecclesiæ ne-
 „cessitates deprecari videntur, pro vi-
 „ribus perfeceris &c.,

Cum autem in hac epistola rei ve-
 ritas haud parum depravata esset,
 Pontifex mærore affectus, & de Car-
 dinalis resipiscentia vix non desperans,
 omnia remedia adhibere statuit, ne
 exempli pravitas etiam obsequiosos,
 & adhuc in subjectione constantes per-
 turbaret, aut titubantes penitus cor-
 rumperet. Præprimis ergo die deci-
 ma sexta Septembris vulgari jussit,
relationem fidelem (*) omnium eorum,
 quæ hucusque tam a principio, quam
 in progressu ad reconciliandum Noail-
 lium, & promovendam Ecclesiæ pa-
 cem agitata fuissent: Dein rursus in de-
 liberationem vocari mandavit, quid de
 Noaillii instructione Pastoralis censen-
 dum esset: Complurium sententia eo
 abibat, in ea duas contineri hæreses,
 & quidem primam esse, quod haud
 obscure traderetur, centum Episcopos

Q 3

qui

(*) Hanc composuit Ill. Affideus Assessor
 S. Officii.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

qui Constitutionem acceptarunt eo ducti principio, quod Pontifex sit infallibilis, non majus auctoritatis pondus habere, quam solum Papam, proin juxta Noailium nequidem Concilium Generale ex Episcopis Papæ infallibilitatem propugnantibus compositum, in suis decisionibus fore infallibile. Alteram hæresin in eo latere autumabant, quod in profani Magistratus potestate sit, præpedire, ne hæc Constitutio vim decisionis Ecclesiasticæ haberet: Has hæreses in Noailii instructione tam aperte contineri, arbitrabatur Fabronius Cardinalis, ut illam æque ac olim morales Quesnelli reflexiones singulari Constitutione a Papa damnandam judicaret. Censebant alii, nullatenus explicationes esse concedendas, sed Noailium esse urgendum, ut Constitutionem sine ulla limitatione ac relatione acceptaret, edito desuper mandato, in quo tamen nullam præfationem in sui defensionem adderet, nec etiam Pontificis merita ac virtutes extolleret, sed Sedis Apostolicæ dignitatem duntaxat deprædicaret, ne Benedicti XIII. meritis ac clementiæ, non vero Sacræ Sedis auctoritati victas manus dedisse videatur. Plura alia fuere proposita, tum vero conclusum nihil.

§. XLVI.

§. XLVI.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.*Diversorum conatus pro reddenda
Ecclesiæ pace.*

Communis jam erat Romæ pene omnium opinio, reducto semel Noailio Cardinale causam finiri, & dissidia, quibus hucusque Ecclesia scinderetur, penitus extingui: Eapropter non pauci in excogitandis concordie mediis strenue desudabant; hos inter haud infimus erat P. Girardus Presbyter Oratorii, qui junctis cum Davila Cardinale consiliis optimum fore judicabat, si ex pluribus Hæreticorum libris propositiones per Constitutionem damnatæ extraherentur, hæque a Theologis solide confutarentur, edito desuper libro, quem summo Pontifici nuncupatum, & a S. Officio discussum Episcopi, qui Constitutioni adhærerent, adoptarent, quo facto Pontifex decretum ederet, vi cuius saltem indirecte, Constitutionis doctrina approbaretur, simulque reprobaretur abusus, quo hæretici eandem Constitutionem hucusque contaminassent. Demum vero Appellanti- bus præciperetur, ut hujus libri doctrinam amplecterentur, & cuncta, quæ contra Constitutionem, ac reverentiam Apostolicis decretis debitam lingua vel

Q 4 calamo

Sæc. XVIII. calamo moliti essent, ex animo rejice-
 A. C. 1726. rent. Ut autem hos Noaillius suo exem-
 plo ad debitam submissionem eo cer-
 tius pertraheret, ceteris prior sequenti
 formulæ palam subscribere juberetur:
*Profiteor coram Deo, recipere me cum re-
 verentia, & animi demissione ac sincero
 corde Constitutionem sanctæ memoriæ Cle-
 mentis XI. quæ iis verbis incipit: Uni-
 genitus Dei Filius, ac damnare Cl. Pro-
 positiones ex libro Reflexionum Quesnellii
 excerptas sub qualificationibus respectivè
 in dicta Constitutione enuntiatis: insuper
 plura (seu) quædam a me scripta, præ-
 fertim in Instructione Pastorali Anni 1719,
 quæ sanctæ Sedi displicuerunt, sincere re-
 jicio, ac reprobō. Datum &c. Placuit
 hoc consilium Daviæ Cardinali, Pon-
 tifex vero de illius successu dubitavit,
 censuitque, ad illius executionem ad
 minimum unius anni moram requiri:
 nihilominus tamen Davia Cardinalis
 desuper ad Noaillium Cardinalem lite-
 ras dedit, ad quas hic respondit,
 tædium sibi afferre repetitos conatus
 pro obtinenda pace non modo inca-
 sum adhibitos, sed etiam ipsi veritati,
 & Franciæ tranquillitati noxios, præ-
 cipue cum veritas per denegatam ar-
 ticulorum XII. Approbationem & per
 Carnutensis, Santonensis & Massiliensis
 Præsulum mandata palam fuisset im-
 pugna-*

pugnata, & Episcoporum potissimi doctrinæ summam Anno 1720. approbatam a S. Officio revocari peterent: De cetero se Constitutionem sub terminis nuper propositis haud cunctanter recipere, nimis tamen asperis verbis expositam esse Instructionis Pastoralis revocationem; sufficere enim, si vel minimam schismatis umbram a sua Diœcesi removeret, ac propterea cunctis fidelibus inhiheret, ne ullum scriptum aut pro ipso, vel contra ipsum editum legerent; sibi enim summopere displicere, si in suis scriptis præcipue in Instructione quicquam sacræ Sedi contrarium contineretur, ac propterea illud omne ceu non dictum aut scriptum esse velit, ac sincero corde detestaretur, si quis hisce scriptis contra mentem S. Sedis quoquo modo uti vellet. Cum autem ex hoc responso haud obscure inferretur, Noaillium ab acceptando hoc consilio valde alienum esse, hinc aliud, idque magis accommodum conciliationis proponebat medium Papæ Nuntius, opera usus P. Francisci Latenai Carmelitæ Doctoris Sorbonici. Hic tum Romæ doctrinæ famæ clarissimus Congregationis Indicis Consultor ac Inquisitionis Romanæ Qualificator, instante Ludovico XIV. Galliarum Rege, in Francia Visitatorem Apo-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. solicum FF. Eremitarum Excalceato-
 A. C. 1726, rum S. Augustini agebat. Hunc ergo

Virum Regi acceptissimum Apostolicus
 Nuntius in Gallias accersiverat, ut
 Noaillo proponeret, quatenus Consti-
 tutionem sine relatione & modificatione
 utpote Ecclesiæ seorsum contraria, re-
 ciperet, simulque declararet, se nul-
 lam rationem suæ Instructionis aut alio-
 rum, quæ vulgasset, habere, sed hac
 in re sese decisionibus Ecclesiæ, &
 S. Sedis iudicio conformare, palam-
 que profiteri, quod ab omni novitate
 alienus esset, semperque fuerit, nil-
 que præter veritatem quæreret, ac
 unice desideraret, ut Ecclesiæ pax, &
 plena & perfecta unitas redderetur &c.
 Cum autem nonnulli obtenderent, Ec-
 clesiæ doctrinam per Constitutionem
Unigenitus labefactari, ideo Pater La-
 tenai proposuit, omnes, quas hi obten-
 derant, difficultates & dubia per mo-
 derati ingenii Theologos esse utrinque
 examinanda, & ex hisæqua & rationi
 consona, summo Pontifici exponenda,
 hasque propositiones si a Papa fuissent
 per Breve approbatæ, ad omnes Epi-
 scopos transmittendas esse: Placuit
 hoc consilium Noaillo: Ast Fleurius
 Foro-Julienensis Episcopus acriter sese
 opposuit, declarans, hac ratione po-
 stulari explicationes Constitutionis, in-
 de

de autem Jansenistis tripudiandi, Ap-
pellantium ausus vindicandi, & Ac-
ceptantes condemnandi palam occa-
sionem præberi, omnino igitur neces-
sarium esse, ut Instructio *revocaretur*,
nec id molestum fore Noaillo; non e-
nim insolitum esse, quod scriptum quod-
dam *in se bonum*, sed ex sequelis noci-
vum retractaretur, aliud ergo accep-
tationis simplicis mandatum a Noaillo
præprimis esse promulgandum. Atta-
men ad hæc Cardinalis respondit, se
nullatenus posse novam Constitutionis
acceptationem edere, nisi prius Ponti-
fex illius explicationes dederit, de ce-
tero autem esse in cælis, qui inter
iplos judicaturus esset. Paulopost ta-
men Cardinalis Noaillius indies magis
ad reconciliationem propensus videba-
tur: nec raro asserebat, quod jam ad
propinquum vitæ exitum ipsa etiam na-
tura ætate gravis eum pertraheret;
insuper iterati etiam gemitus sat a-
perte indicare videbantur, quod ex
præteritæ oppositionis memoria ejus
animus ingenti premeretur dolore:
unde Pontifex, qui assiduis precibus
Dei misericordiam implorabat, & jugi-
bus lacrimis mala afflictæ Ecclesiæ im-
pendentia deflebat, nondum omnem
futuræ reconciliationis spem abjecerat.

§. XLVII.

Sæc. XVIII,
A.C. 1726.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. XLVII.

*Epistolæ Pastorales Santonensis &
Massiliensis Episcoporum contra
Noaillii Cardinalis ar-
ticulos.*

Interim Jesuitæ in Italia omnes inten-
debant nervos, ut summum Ponti-
ficem absterrent, ne Noaillii Cardi-
nalis articulos approbaret. Hanc in
rem scriptum italo sermone ediderunt,
cui titulus: *Reflexiones in petitionem Ex-
plicationum ab Appellantibus factam.* Fun-
damentum & robur hujus lucubratio-
nis innitebatur hisce assertis: *Consti-
tutio Unigenitus est Regula fidei, parem
habet vim, ac Concilium, & Dei Ver-
bum, ergo, prout jacet, recipienda est sine
explicationibus.* Majori rationum pon-
dere eosdem articulos impugnabant
Santonensis & Massiliensis Episcopi,
quorum prior die 26. Nov. anni prio-
ris, alter vero hoc anno die 14. Jan.
Parisiis Epistolas Pastorales, quas Galli
mandata vocant, divulgant. Cum
enim Appellantes in vulgus falso spar-
gerent, quod Pontifex se duodecim
Noaillii articulos approbaturum spo-
pondisset, Bellomontius Santonensis
Episcopus Nuntium Apostolicum roga-
bat, ut datis Romam literis, quid rei
subsit,

sublit, certo explorare vellet; detecta autem rumoris falsitate Episcopus hos articulos ad sanæ doctrinæ trutinam ponderare, illos censuris configere, eorumque lectionem gregi suo interdiceret statuit: Igitur ex pluribus, quæ Noaillius contra Constitutionem ediderat, scriptis ambo Episcopi comprobatum reddebant, ex his articulis quosdam esse *æquivocos, captiosos, artificiosos, falsos, & perversi sensus capaces*, in pluribus aliis vero *tradi errores manifestos*, ex aliis deduci *necessario sequelas periculosas non minus ac noxias*, potissimos vero esse *communi Theologorum sententiæ, Scholarumque Catholicarum libertati contrarios*. Hanc suam Epistolam Santonensis Romam ad summum Pontificem transmisit, tanto applausu exceptam, ut Cardinalis Pauluccius die 26. Decembr. Nuntio Apostolico rescriberet, hunc Episcopum optime fecisse, quod sua Instructione artificiosam Refractariorum calumniam palam confutarit, ac mendacii, falsitatisque redarguerit; hunc ejus laborem a summo Pontifice ratum, gratumque fuisse habitum, ceu novum specimen pietatis ac Zeli, quo hic Præsul flagraret: Horum exemplo animati plures Franciæ Præsules pariter ejusmodi epistolis encyclicis Noaillii
arti-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. articulos proscribere parabant, quo ta-
 A. C. 1726. men comperto Borbonius Dux Rotho-
 magensi Archiepiscopo injunxit, ut
 Bissyum Cardinalem rogaret, quate-
 nus hisce Episcopis præciperet, ut suas
 Epistolas supprimerent, ne incendio
 oleum affunderetur. Attamen hic Car-
 dinalis illorum Zelum adeo non dam-
 nabat, ut potius illos potenter pro-
 tegeret.

§. XLVIII.

*Libellus supplex quorundam Pari-
 sine Diœcesis Parochorum ad
 Noaillium Cardinalem.*

Postquam utriusque hujus Episcopi
 epistolæ Parisiis publice divulga-
 bantur, nonnulli Parisiensis Urbis ac
 suburbiorum Parochi numero circiter
 viginti tres die quarta Maij Noaillio
 Cardinali libellum supplicem typis im-
 pressum porrexere. „ In eo Cardina-
 „lem pristinae suæ constantiæ memo-
 „rem esse jubebant, rogabantque, ne
 „aliorum sollicitationibus cederet, Mi-
 „nisterii nostri debitum, inquiebant, fidei
 „Catholicæ periculum, & inviolata, qui-
 „bus Eminentie vestræ arctissime jungimur,
 „sacrata vincula prohibent, ne ad Santo-
 „nensis Episcopi mandatum sileamus. „
 Postea extractis, quas vehementiores
 puta-

putabant, expressionibus exclamarunt: Sæc. XVIII.

„Utinam oculos claudere liceret ad A. C. 1726.

„atros illos colores, quibus Præful

„universo Orbi venerandus in hoc man-

„dato indignissime depingitur, & qui-

„dem in sua etiam Urbe Episcopali,

„in qua hoc mandatum passim divul-

„gatur: Si duntaxat de personalibus

„injuriis ageretur, taceremus utique,

„haud ignari, quod Eminentiae vestrae

„bonitas & mansuetudo omnia, quæ

„in hoc mandato injuriosa sunt, velo

„charitatis obtektura esset; ast agitur

„de veritate & de Religione, quæ sub

„nullo obtentu deferri valet. . . .

„Agitur de Ecclesiae doctrina & sanctis

„Evangelii veritatibus, quibus aper-

„tum indicitur bellum: Exhibentur

„præcipui traditionis Apostolicæ arti-

„culi, ceu perniciofa vitia, quibus

„duodecim articuli, quos *opus tenebra-*

„*rum* appellitant, scaterere creduntur. „

His præmissis præfatos articulos vin-

dicare studebant, ac tandem ad de-

fendendam fidei veritatem Cardinalem

monebant his Græcorum Abbatum &

Monachorum verbis: *Petimus, & in-*

terpellamus, ac conjuramus Eminentiam

veltram per sacrata jura earum verita-

tum, quæ per sanctos Apostolos, prophe-

tas & Martyres, & omnes, qui a sæculo

sunt, Sanctos nobis annuntiatæ sunt, &

quo-

Sæc. XVIII. quorum dogmatibus non minus quam san-
A. C. 1726. guinibus sancta fides servata & stabilita
 est, ut non despiciere velis Christianorum
 preces, neque humilium nostrorum præsen-
 tium & absentium cum lacrimis postulatio-
 nes, sed Canonice & synodaliter expugna-
 tam sanctam fidem defendere, eamque sal-
 vare integram, sinceram, & sine innova-
 tione (*).

Postquam hujus scripti notitia ad
 Regis aures pervenerat, hic suum de-
 cretum, quo Noailii articulos nuper
 suppresserat, vilipendi ratus, non le-
 viter in hosce Parochos excaudit:
 Discussa igitur rei causa Regii Sena-
 tus edictum die decima quarta Junii
 promulgari, huncque libellum ceu
 scandalosum, ac Ecclesiæ decretis &
 Regni legibus adversum suppressi iussit,
 præcepitque, ut cuncta ejus exempla
 dilacerarentur, ac singulari solertia de
 ejus Auctoribus quæstio institueretur.
 Nihilominus nec hujus edicti severitas,
 nec Regiæ voluntatis Reverentia hosce
 Parochos a propugnando schismatico
 suo libello abstertere poterat. Die ergo
 quinta Septembris querulas literas ob
 suppressum hoc scriptum Regi porrigunt,
 cum

(*) Libellus supplex Abbatum, Presbyte-
 rorum & Monachorum ad Martinum I. Papam
 Anno 649. Concil. Lateran. Secret. II.

cunctosque errores in eo contentos re-
 fricant, propugnant, imo & augent. Sæc. XVIII.
A. C. 1726.
 Nec his contenti, pro more suo ad fu-
 turum appellant Concilium, nec non
 præfracta fronte Constitutionem *Uni-*
genitus esse Ecclesiæ ac Regni legem
 inficiantur. Denique, ut Regiam au-
 thoritatem subterfugerent, palam de-
 clarant, se duntaxat sub Dei & Oe-
 cumenicæ Synodi protectione militare:
 Porro horum insolentia Regem ad sum-
 mam commovit indignationem; quo-
 circa die undecima Octobris novo de-
 creto pronuntiabat, quod tam temera-
 rium scriptum non nisi seditionis spiri-
 tus, ac subjectionis impatiens animus
 dictasset, in eaque non modo Regia,
 sed & Ecclesiastica potestas pari auda-
 cia vilipenderetur, & insuper Regi
 jus denegaretur, vi cujus Bullam,
 quæ in Ecclesia ceu lex jam e-
 rat recepta, in Regni quoque legem
 erigere posset: His additum, pau-
 cos hosce Parochos integræ Com-
 munitatis prærogativa carere, pro-
 in contra Regia Senatus edicta
 reclamandi jus eis non compe-
 tere, indictis ergo severissimis pœnis
 ad terrorem aliorum sancitis pernicio-
 sum hunc libellum esse penitus suppri-
 mendum. Nec tamen aucta hac seve-
 ritate terrebantur Quesnellistæ, sed
Hist. Eccles. Tom. LXXII. R po-

Sæc. XVIII. A. C. 1726. potius contra auctoritatem tam sacram quam profanam vexillum erigebant, ac varia, eaque admodum noxia divulgabant scripta; horum præcipua erant: *Collectio edictorum, quæ pro recipienda Constitutione a profana auctoritate emanarunt, item Parallela doctrinæ Paganorum cum doctrina Jesuitarum & Constitutionis Unigenitus*, ac denique *Instructio Pastoralis & duæ Epistolæ Montpeffulani Episcopi*. Quòdcumque enim turbidi ingenii homines novum doctrinæ monstrum progerminaverant, aut novam calumniam excoxerant, aut convitia in variis scriptis sparsim effusa in unius libelli angustias contraxerant, mox omnia hæc diversi generis scripta & obscura tenebrarum opera avide & publice quidam Episcopi factioni addicti adoptabant, eaque suis fidelibus tanquam fidei Regulam obtrudebant: Præterea omni ferme die circumferebantur hujus furfuris mandata, instructiones Pastorales & encyclicæ Itieræ, quæ sub nomine vel Montpeffulani, vel Santiensis, aut Antissiodorensis Episcoporum divulgabantur. Horum ausus, ut ceteri Franciæ Præsules reprimerent, in suis comitiis congregati, a Rege petebant, ut pro more veteri Concilia, præcipue in Narbonensi Provincia haberi permetteret: Eorum votis

eo pronius annuit Rex, quo gravius, Sæc. XVIII.
 promptiusque remedium effrenata So- A. C. 1726.
 neni Sanitiensis Episcopi audacia de-
 poscere videbatur. Hic enim omnes
 Ecclesiasticæ disciplinæ leges præter-
 gressus, cunctos Apostatas, quos Jan-
 senistæ ex Hollandia ad eum submise-
 rant, palam sacris initiabat Ordinibus,
 etsi quandoque nec *dimissoriis*, ut vo-
 cant, literis muniti fuissent, aut non-
 nisi unius Episcopi in Protestantium
 Provincias intrusi ac schismatici testi-
 monium attulissent. Insuper, & quod
 fanaticum furorem contra Constitutio-
 nem luculenter prodebat, etiam post
 obitum suum, quantum in ipso erat,
 Diæcesanos ceu schismatis ac pertina-
 ciæ suæ hæredes esse, eosque præpedire
 voluit, ne Successoris Episcopi, qui
 fors illos ad obedientiam Ecclesiæ deci-
 sionibus debitam exhortaturus esset,
 vocem audirent. Eo fine Instructio-
 nem Pastoralem die 28. Aug. ceu ul-
 timæ suæ voluntatis tabulas edidit, &
 aperte schismatis ac seditionis vexil-
 lum contra Ecclesiam & Constitutio-
 nem extulit. Haud toleranda erat
 perniciosa Viri temeritas, quapro-
 pter Rex hujus Præfulis causam
 in Provinciali Synodo dijudicari præ-
 cepit: de hac autem plura inferius.

R 2

§. XLIX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. XLIX.

Controversiæ ob varias Theses.

Adversus Constitutionis hostes præcipue Jesuitæ ubique arma parabant, & quidem Brabantini librum contra duodecim Noailii Cardinalis articulos edebant, quem Steuvarius Mechliniensis Ecclesiæ Decanus proluxa honorabat approbatione, in qua acrius in Hollandiæ Jansenistas investus, Varletum Babylonensem Episcopum vocabat *Antichristi præcursorem*, & Steenhovium & Barchmanum Ultrajectinos Episcopos *duo Apocalypseo animalia*. Ceterum Jesuitæ laudando suo Zelo, Præsulum, qui a Constitutione appellabant, invidiam sibi accersebant, atque inter eos præcipue irritabant Antiffiodorensem Episcopum, qui propterea eos omni data occasione vexabat: Præbuit eidem hoc anno prætextum P. Le Moine Philosophiæ Professor, qui quasdam propositiones de fine actionum humanarum, de ignorantia juris naturalis, de conscientia erronea, de metu poenarum in Sacramento Poenitentiae, aliasque suis Discipulis e pulpito dictabat. Has numero decem ceu sanæ doctrinæ morum minus confonas denuntiabant Doctorum nonnulli,

quas

quas Episcopus maturius examinari Sæc. XVIII.
 jussit, ac Professori injunxit, ut eas A. C. 1726.
 retractaret; cum autem hic revoca-
 tionis formulæ, quæ ei exhibita erat,
 subscribere renueret, Episcopus die
 18. Sept. anni prioris quamlibet earum
 sigillatim suis perstrinxit censuris, hanc-
 que in rem ineunte Mense Februario
 currentis anni scriptum publici juris
 fecit sub hoc titulo: *Mandatum & In-*
structio Pastoralis Episcopi Antissiodorensis,
qua plures propositiones ex scriptis in Col-
legio Antissiodorensi a P. Le Moine S. J.
dictatis extractæ damnantur: In ea præ-
 primis Episcopus queritur contra quos-
 dam Orbi sat notos, qui ad evertendum,
 quicquid Religio nostra in suis dogmatibus
 sanctum, in morum doctrina essentielle ha-
 bet, quantum in ipsis est, conspirare viden-
 tur; in hujus querelæ argumentum ad-
 ducit eas doctrinas, quæ Duriorigi Ve-
 netorum, Ruthenæ, Ambiani & no-
 vissime Antissiodori traditæ, atque ab
 alio Professore, etsi errores antiqui &
 jam reprobati essent, innovati tamen,
 & novi non sine piarum aurium offen-
 sione fuerant superadditi: Hos inter
 præcipue hanc numerabat propositio-
 nem: *Christianus deliberate agens, potest*
agere præcise qua homo, & exuere perso-
nam Christiani in actionibus, quæ non sunt
proprie hominis Christiani. Eundem er-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

rorem Episcopus speciatim confutandum assumpsit, atque ex S. literis & traditione comprobavit, hominem teneri, omnes suas actiones deliberatas ad Deum tanquam ultimum finem referre saltem virtualiter per amorem. Postea impugnabat illam propositionem, qua idem Professor D. Thomæ auctoritate abusus in barbaris Germaniæ populis furta excusare nitebatur per ignorantiam invincibilem juris naturæ: Falso igitur S. Thomæ auctoritatem allegari, ejusque textum perperam intelligi ostendit Episcopus. simulque noxias sequelas ex peccato philosophico profluentes detexit, ac Professore re-darguit, quod circa principium nostrarum actionum & circa peccata ignorantiae cum Pelagio & Cælestio consentiat, cum tamen, si S. Augustini vestigia pressisset, nunquam circa gratiæ efficaciam opiniones eidem S. Doctoris & D. Thomæ recta oppositas adoptasset. Denique suam Instructionem his verbis conclusit. „Cum mihi persuasum sit, SS. Augustini & Thomæ doctrinam esse eandem cum Catholica, cumque S. Germani, qui olim Pelagianæ hæresis in magna Britannia flagellum erat, Successor in ea Cathedra collocatus sim, quæ sacratum cælestis hujus doctrinæ depositum semper sanum

„sanum & integrum conservavit, hinc Sæc. XVIII.
 „firmum fixumque habeo, me nunquam A. C. 1726.
 „permiffurum, ut quiscunque demum
 „fit, hanc doctrinam intra Diæcesin
 „impugnare aufit &c. Postquam hæc
 instructio Parisiis divulgata erat, gra-
 ves inde motus fuere exorti, & Epi-
 scopus ab Aulæ Ministris, aliisque
 Proceribus Societati devotis acres,
 acerbasque objurgationes tolerare co-
 actus est, quibusdam caussantibus,
 tempore iniquissimo hanc censuram
 fuisse editam, aliis censentibus, eam
 esse nimis acerbam, & injuriosam.

Verum illo ævo in Galliis quædam
 doctrinæ erant argumentum adeo deli-
 catum, ut quamcunque sententiam
 quis sequeretur, in scopulum impinge-
 ret, & qui Semi - Pelagianismi calum-
 niam declinare vellet, Jansenismi con-
 vitium sibi accerferet, imo vix ullus
 tutam viam incedere possset, nisi lin-
 quam & calamum penitus cohiberet.
 Experti sunt id hoc anno Patres Do-
 minicani Redonenses, qui die 8. Maij
 binas hæce theses publicæ disputationi
 exposuerant. I. *Metus gehennæ nun-
 quam destruit omnem voluntatis affectum ad
 oppositum, hinc timor gehennæ quamvis
 supernaturalis, quamvis bonus & utilis per
 se, non sufficit ad expellendam omnem pec-
 candi voluntatem.* II. *Ad libertatem ar-*

Sæc. XVII. *bitrii non sufficit immunitas a coactione,*
A. C. 1726. *sed requiritur plena immunitas a naturali*
necessitate. Harum primam propositionem Redonensis Episcopus, in quantum generalis est, & tam actualem, quam habitualem voluntatem completitur, declaravit esse falsam, erroneam, Doctrinæ S. Concilii Tridentini contrariam, Bullæ Unigenitus, Instructioni Cleri Gallicani de Anno 1714. necnon summæ doctrinæ Anno 1720. adversam. Alteram vero ceu captiosam, falsam, erroneam, & ad renovandam tertie Jansenianæ propositionis hæresin tendentem perfrinxit. Quamprimum hæc censura Romæ innotuerat, mox Pontifex haud ignarus, in qua officina contra D. Thomæ doctrinam ejusmodi mandata procedi solerent, per Lercarium Sedis Apostolicæ Secretarium adesse jussit P. Hyacinthum Graveson celeberrimum FF. Prædicatorum Theologum, cui Redonensis Episcopi mandatum & censuram utriusque hujus propositionis exhibuit, dato negotio, ut suam desuper mentem scriptotenus manifestaret, eo fine, ut Sanctitas sua efficacibus opportunisque mediis obviare posset Gallicis ejusmodi mandatis, quibus sub specioso Constitutionem *Unigenitus* propugnandi prætextu, doctrina Scholæ Thomisticæ a Molinistis impugnabatur. Paruit

ruit igitur Gravesonius, & utramque Sæc. XVIII.
 propositionem rejecta *infami* earum A. C. 1726.
tractatione per eruditissimam apologiam
 vindicavit; ineupte Mense Augusto tres
 Parisini Patres Priores ejusdem Ordini
 literas ad Papam dederunt, de Redonensi
 censura & extorta Professoris revocatione
 vehementer questi. Has unacum sua apologia
 Gravesonius Lercario tradidit, ut eas ad
 summum deferret Pontificem. Re comperta
 Polignacus Cardinalis Gravesonium ab
 urgenda hac causa abstertere, ac persuadere
 nitebatur, ut Episcopi nomine rem amice
 componeret. Ea de causa, ad eum P. Sicardum
 Dominicanum, qui Nationis Gallicæ Assistens
 erat, ablegavit: cum autem Gravesonius causam
 haud ultra integram esse, nec se quicquam
 sine Pontificis, Nuntii Apostolici, suique
 P. Generalis consensu moliri posse, reponeret,
 Polignacus contra utramque propositionem
 scriptum edere parabat, cujus tamen Auctorem
 exstitisse P. Vitryum Jesuitam, manifestum
 erat. Ast recentissimum vulnus vix tenui
 cicatrice obductum refricari veritus P. Magister
 Generalis, nomine Redonensis Conventus
 P. Moleum Procuratorem Generalem ad
 Papam ire jussit, ut ab eo consilium peteret,
 an D. Thomæ doctrinam relin-

Sæc. XVII.

A. C. 1726.

querent, & sese Redonensis Episcopi opinionibus conformarent. Verum Pontifex eis severe inhibuit, ne vel latum unguem ab Angelici Doctoris sententia recederent. Accepto hoc responso P. Magister Generalis habito suorum Conventu decrevit, doctrinam thomisticam in publicis thesibus die decima nona Septembris hoc anno supremo Augustinianorum Generali nuncupandis esse propugnandam. Exponebantur ergo hæ octo propositiones.

I. Abolutæ voluntati Divinæ nemo resistit.

II. Electio efficax Prædestinatorum ad gloriam non est ex prævisis meritis.

III. Post Adæ peccatum non potest quis salvari absque fide Mediatoris & Redemptoris.

IV. Omnium nostrarum actionum directio ad Deum est res præcepti, non consilii.

V. Qui Deum ignorans, vel de Deo actu non cogitans, vel expresse ad malitiam peccati non advertens, graviter peccat, hic Deum offendit.

VI. Cæcis & obduratis aliquando Deus subtrahit gratiam interiorem. Qui autem sic destituti gratia peccant, culpabiles sunt coram Deo.

VII. Gratia per se, & ab intrinseco efficax datur.

VIII.

VIII. Efficacia gratiæ consistit in Sæc. XVIII.
 motione Dei physice prædeterminante, A. C. 1726.
 & decreta circa actus nostros liberos
 sunt per se, & ab intrinseco efficacia.

Hæ Theses a Sacri Palatii Magistro
 approbatæ, Doctoribus & Theologis
 maximo numero confluentibus in pu-
 blica defendebantur disputatione, cui
 tamen Jesuitarum nullus intererat.

Sequenti Mense contra Dominica-
 nos quidam e Societate in Hispania
 thesin propugnabat, in qua magis au-
 dacter quam religiose exponebat; quod
 gratia ex se efficax & Prædestinatio gra-
 tuita per Bullam *Unigenitus* fuerit dam-
 nata: cum autem huic Professori ob-
 jiceretur Benedicti XIII. Breve ad Do-
 minicanos, ipse nil aliud promptum,
 quod responderet, habuit, nisi ut diceret,
nos quidem reveremur Pontificis Personam,
sed pro rei veritate contradicimus. Id ubi re-
 civerat Pontifex, vehementiore ira ex-
 ardescebat, paulopost tamen relatum
 fuerat, hanc ipsam thesin apud Hispa-
 niæ Inquisitionem fuisse denuntiata,
 proscripamque, & quamvis Jesuitæ a
 sententia per particulare Inquisitionis
 Tribunal pronuntiata ad Generalem Hi-
 spaniæ Inquisitorem appellassent, nihil
 tamen in Inquisitoris judicio immuta-
 tum fuisse. Idem ferme fatum subiit
 Apamiæ alius e Societate Professor
 P. Ben-

Sæc. XVIII. P. Benjamin Tardieu, qui præter alias
 A.C. 1726. morum doctrinas etiam opinionem de
peccato Philosophico in Scholis dictasse
 accusabatur: Jamjam Episcopus Apa-
 miensis censuram parabat, hanc tamen,
 ut præverteret Professor, die 20. Nov.
 unacum P. Antonio Ignatio Marseil
 Collegii Rectore & Notario publico Epi-
 scopum accessit, exposuitque, quod
 jussis suorum Superiorum obtempera-
 turus, suæque conscientiae consultu-
 rus, ac denique Societati, quæ cæcam
 erga Ecclesiae decisiones, & primos
 ejus Pastores obedientiam profitetur,
 illatam reparaturus injuriam fateatur,
 has propositiones ex suis dictatis fide-
 liter esse decerptas, & non minus im-
 prudentiæ, quam ignorantiae & teme-
 ritatis reum se fecisse, eoquod ejus-
 modi dictasset propositiones, in quibus,
 licet contra mentem suam, stabilire vi-
 deretur, *dari aut dari posse vera peccata*
mere philosophica, quæ non sunt Theolo-
gica, seu perpetrata contra Deum ejusque
legem, nunc vero se sincero animo hanc
 doctrinam tanquam scandalosam, te-
 merariam, piarum aurium offensivam,
 aut ad minimum erroneam detestari,
 humiliterque rogare, ut Episcopus re-
 tractationem in suo scripto Notarii ma-
 nu signato contentam acceptare velit:
 Hanc ergo Episcopus gratanter rece-
 pit,

pit, ejusque exemplum ad acta re-
tulit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. L.

*Caroli Tutelensis Episcopi sententia
circa Constitutionem Unigenitus.*

Præter alios quamplurimos Franciæ *Sent. Carol.*
Episcopos etiam Carolus Du Plessis *de Const.*
D'Argentre Episcopus & Vice-Comes *Unigen.*
Tutelensis Appellantibus a Constitu-
tione fortiter obstitit; cum tamen non-
nulli de perfecta ejus obedientia temere
magis quam prudenter dubitare vide-
rentur, hoc anno suam hac super re
mentem prodidit, conscripto libello,
cui titulus: *sententia Caroli Tutelensis
Episcopi, de Pontificia Constitutione Cle-
mentis Papæ XI. quæ incipit. Unigeni-
tus: Hanc Bullam pure & simpliciter
acceptat hic Episcopus, hisque verbis:
tali judicio a nobis recognito, significat,
se non leviter aut duntaxat vervecum
more ad aliorum vocem & exemplum,
sed iterata, & matura desuper facta de-
liberatione eam recepisse: Postea ad-
didit quasdam observationes in appel-
lationes ab illa interpositas, ubi hos,
qui ab ea tanquam a decreto ex se malo,
& fidei fundamenta evertente lege appella-
runt, distinguit ab illis, qui duntaxat
eo fine ab hac Bulla provocarunt, ut*
necessa-

Sæc. XVIII. *necessarias illius explicationes a Papa ob-*
 A. C. 1726. *tinerent: Illos omnino damnabat, de*
 his vero observatione. III. pag. 20. *aje-*
bat: Hæc via certe legitima est in difficult-
ibus causis tum Divinæ fidei, tum generalis
discipline, nec supremæ jurisdictioni Ro-
mani Pontificis nocet, sed eam adjuvat,
Et dirigit ad verum prudenter discernen-
dum, Et ad distinguenda ambigue dicta, ne
verum cum falso confundatur & Paulopost
inquit, plures ex provocantibus, qui tan-
tummodo distinctas interpretationes ambi-
guarum dictionum Quesnellii proscripta-
rum, a Romano Pontifice ut Concilii Ge-
neralis Præside seu a Generali Concilio, cui
Romanus Pontifex præsideat, jure postu-
lant, ne vera cum falsis confundantur,
honestæ ratio est, Et ad legitimam viam re-
currunt. Demum observatione postre-
ma quærit: Utrum coram Deo læthalis
culpæ rei sint, quotquot a judicio Cle-
mentis XI. ad Generale Concilium provo-
cant? ad hanc quæstionem respondens
excusat duntaxat eos, qui solummodo
explicationes impetrandi gratia appel-
larunt, quoniam legitima via utuntur;
quippe etiam Pontifex hanc ob caus-
am a dandis ejusmodi explicationibus
haud adeo alienus fuisse videtur, &
nonnulli ex ipsis quoque Cardinalibus
consuere, id Papam posse, non tamen
expedire, quia potissimi has explica-
 tiones

tionem non nisi debitam submissionem declinandi studio sollicitassent. Ceterum hic Episcopus suam lucubrationem publici juris facere noluit, nisi accederet approbatio & consensus Rohani Cardinalis, qui tamen id in presenti rerum perturbatione haud consultum fore censuit.

Sæc. XVIII
A. C. 1725.

§. LI.

Blesensis Controversia Episcopi cum Regularibus.

Hoc item anno Blesensis Episcopus novæ controversiæ ansam præbuit: Hic mense Februario juxta Ritualis sui præscriptum cunctis Regularibus inhibuit, ne Paschali tempore crates summi Altaris linteo pro sacra laicorum Communionem vestirent: Opponebant hi nescio quæ privilegia, quibus tamen insuperhabitis a *Præsidialis*, ut vocant *Curia* Administro se Episcopi mandato conformare jubentur: Provocant tamen ab ejus sententia ad Regium Conscientiæ Tribunal, ibidemque pro tuenda sua causa producunt Innocentii XI. Breve, vi cuius ex S. Congregationis Regularium sententia in Religiosorum favorem decisum erat. Res ex Regii Senatus decreto ad Papam devolvitur; interim vero Blesensis

fis

Sæc. XVIII
A. C. 1726

sis Episcopus omnia, quibus jus suum tueretur, sedulo conquirat, ac tandemprehendit, præfatum Pontificis Breve in nullius Parlamenti Curia fuisse ad acta relatum, illudque duntaxat pro Burdigallensi Diæcesi concessum, aliunde vero cuncta Concilia in Galliis post Tridentinum celebrata necnon Cleri Gallicani statuta & Ritualia ejus causæ palam patrocinari: His expositis ac mature pensatis Fleurius Foro-Julien-sis Episcopus exclamabat. *Causa finita est*: moxque Maurepasio mandabat, ut præcipue Jesuitas & Paulanos adigeret, ut Episcopi mandato obtemperarent. His vero Carnutensis Episcopi, qui hoc decretum ex suo Rituali expunxerat, patrocinium implorantibus, res in suspenso hæsit, Blesensi Episcopo de reportata victoria haud dubitante. Obstupuit tamen, dum sabbato ad Dominicam Palmarum Jesuitæ ipsum accesserant, nuntiantes, ipsis a Conscientiæ consilio litem esse adjudicatam, idque constare ex Maurepasio literis: cum autem Episcopus ab eodem non alias recepisset literas nisi die 22. Martii datas, in quibus per Fleurium præfato Maurepasio injunctum erat, ut Regulares Episcopo suo obedirent, hinc omnibus suæ Diæcesis Communitatibus tam Regularibus quam laicis die decima
tertia

tertia Aprilis præcepit, ut sese Ritua-
lis sui articulo conformarent, nec ex-
panso linteo Eucharistiæ Sacramentum
Paschali tempore in eorum Ecclesiis
ministrarent. Verum sequenti mox
die Episcopus Maurepafii literas rece-
pit, in quibus re ipsa declaratum, quod
Conscientiæ Senatus in Regularium fa-
vorem sententiam suam mutarit, eo-
quod inaudiisset, hunc articulum in
Rituale non contineri. Hac de re Blef-
sensis Episcopus datis literis Fleurium
certiorem reddidit, qui tamen a de-
ciliis haud recedendum esse censuit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. LII.

*Difficultas ob Anni Sæcularis gra-
tiam exorta.*

Jam anno priori in Italia solemnitas
Anni sæcularis celebrabatur; ut
vero exteræ quoque Regionibus hac pa-
riter gratia potirentur, Provinciarum
Primates vel Archiepiscopi ad Papam
pro more supplices dabant literas; has
etiam illi Franciæ Episcopi, qui debita
submissione Sacræ Sedi erant uniti,
jamjam pro Jubilæi gratia impetrave-
rant: Exclusæ tamen erant illæ Diæ-
ceses, quarum Præsules suæ contra
Constitutionem interpositæ appellationi
pertinacius insistebant: Has inter præ-
cipue

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

S

Sæc. XVIII.

A. C. 1726.

cipue erat Diæcesis Parisina, quæ pro-
 pter Cardinalis Noailii Archiepiscopi
 tergiversationem sacro hoc favore huc-
 usque destituta permanfit. Attamen
 h jus gratiæ promulgationem tamdiu
 diherri, ægerrime ferebat Ludovi-
 cus XV. Franciæ Rex, qui, cum in-
 credibili sacri hujus thesauri desiderio
 flagraret, anni sancti Breve per Po-
 lignacum Cardinalem pro Diæcesi Pa-
 risina a Papa efflagitari voluit: Hoc
 comperto Cardinalis Noailius die 7.
 Octobris ipse literas ad Papam misit,
 supplicans, ut pro Parisina etiam Diæ-
 cesi parem gratiam faceret. Exigua
 tamen affulgebat spes obtinendi id,
 quod petierat; eo quod Pontifex ejus-
 modi Breve Apostolicum jam antea
 quinque aliis sex Franciæ Diæcesibus
 ob interpositas ab Episcopis appella-
 tiones denegasset, aliunde vero Pon-
 tifex suam indignationem sat aperte
 commonstrasset; postquam enim Car-
 dinalis Gualterii Nepos Forojulienfi
 Episcopo rubrum Galerum Parisios de-
 tulerat, Pontificias pro more literas
 cunctis Franciæ Episcopis consignavit,
 nullas tamen Noailio tradidit, imo
 nec illum visum ire permissus est. In-
 terim Polignacus Romæ Regis nomine
 Jubilæi Bullam haud absimilem ab ea,
 quæ Anno 1700. concessa erat, effla-
 gitabat;

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

gitabat; Pontifex vero huic Cardinali respondit, moris esse, ut ejusmodi Bullæ non concederentur, nisi ad preces Archipræsulum atque Episcoporum, adeo, ut horum quivis seorsim pro hac gratia supplicare teneretur. Cum ergo Polignacus jam tertia vice, incassum tamen instaret, tandem Pontifex spondit, se hoc Breve Carnutensi Episcopo indulturum eo fine, ut Rex in Asceterio S. Cyri, gratia Sæcularis Anni potiri posset. Id tamen Noaillio nimis injuriosum esse credidit Polignacus, ac ipsemet Rex consultius fore censuit, si præfatum Breve ad Senonensem Archiepiscopum transmitteretur, hacque ratione Rex Fontis - Bellaquei, dictæ Diæcesis oppido, ubi tum morabatur, sacri hujus thesauri participem sese redderet. Ergo hic Archiepiscopus Romam perscribere, ab ipso Rege jubetur, ad cujus preces Pontifex desideratam mox concessit Jubilæi Bullam, qua etiam ad Festum omnium Sanctorum promulgata, Rex Fontisbellaquei unacum tota Aula sua plenariæ remissionis gratiam non sine maximo pietatis sensu recepit. Ea res plurimum afflixit Noaillium, ad cujus tamen querelas Fleurius Cardinalis die decima quarta Octobris hæc respondit: „Ausim dicere, quod si V. E. ad mo-

Sæc. XVIII. „nita mea aliquot abhinc Mensibus
 A. C. 1726. „data pronas aures præbere voluisset,
 „certe hanc non pateretur molestiam,
 „sique illa, quæ pro plena reconci-
 „liatione cum S. Sede Pontifex petiit,
 „exequi voluisset, non minus suo ho-
 „nori, quam Religionis utilitati pro-
 „spexisset. Scit V. E. Pontificis amo-
 „rem erga ipsam, & quam ardentem
 „cupiat, hujus amicitix specimen dare
 „dummodo vicissim V. E. ad perfectam
 „unionem inter primos Pastores suam
 „operam conferret. Vereor, ne nimium
 „affligatur, eoquod se a potissima Cleri
 „sui parte desertam cernat; ast præca-
 „veat sibi ab hoc timore; sciat enim,
 „quod plusquam tertia pars eorum, qui
 „appellarunt, id unice complacendi
 „studio, vel reverentia erga E. V. fece-
 „rint, qui, si illam alia via & quidem
 „magis secura, & unice sequenda in-
 „cedere viderint, eadem quoque do-
 „cilitate secuturi sint ipsius exemplum.
 „Non deerunt forte pauci ex fanaticis,
 „& intemperantis ingenii hominibus,
 „qui E. V. convitiis, calumniis, & ma-
 „ledictis, imo & maligno calamo im-
 „petent, sed his absterri non deberet
 „V. E. cui magis, quam mihi notum est,
 „hanc esse Episcoporum hæreditatem:
 „Prævaleat solatium ex perfecta Epi-
 „scoporum unione vivendi ac moriendi
 „hau-

„haustum & certus sum, quod ipsa-
 „met hoc solatium in intimo cordis sui
 „sentiatur. Sequatur ergo ductum animi
 „sui, occludat aures suggestionibus
 „perverfis eorum, qui animo pervica-
 „ces non ejus Gloriam promovere sed
 „pravos suos affectus satiare quærunt.
 „E. V. inter Nos non habet hostem
 „ullum, ego certe omni, quæ Episco-
 „pum decet, sinceritate profiteor, me
 „nunquam fuisse oblitum illius amici-
 „tiæ, qua me honoravit: Unice E. V.
 „admoneo, ut quicquid contigerit, nil
 „aggrediatur nisi præmissa deliberatio-
 „ne matura, & consultis Viris minime
 „suspectis &c.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

§. LIII.

Theses de Jure circa S. Scripturam.

Hoc item anno quidam in Belgio
 Theologi specimen juris publici
 circa libros S. Scripturæ edere aggre-
 diebantur: Occasionem hujus scripti
 dederat acris non minus ac diuturna
 contentio, quæ inter Theologos Lovanienses fervebat, quibusdam censenti-
 bus, ex Regula IV. Indicis Romani,
 promiscuam Sacri Codicis lectionem in
 lingua vulgari cunctis esse interdictam,
 aliis vero propugnantibus, hanc Re-
 gulam in Belgio non fuisse receptam,

S 3

pro-

Sæc. XVIII. proinde omnium Sacrorum librorum
A. C. 1726. lectionem esse permissam, & tam
 Clericis, jurisque Canonici peritis, quam Magistratibus profanis Sacrarum
 literarum scientiam summopere ad
 id esse necessariam, ut non modo ad
 religionis præscriptum, vitam Chri-
 stianam ducerent, sed & ut sua munera
 & officia recte laudabiliterque obirent.
 Huic opinioni, qui suffragabantur, ad
 comprobandum suum systema scriptum
 quoddam ediderunt, cui titulus: *The-
 ses cum annotationibus de jure communi &
 speciali Sacerdotis, Principis & plebis
 circa Scripturas Sacras.* Hoc opus sex
 Capitibus absolvebant, quorum primo
 agebant de *S. Scripturarum causis &
 proprietatibus, quatenus sunt fundamentum
 prædicti Juris.* Hanc in rem novem
 exponebant Theses, quarum prima est
 hæc: *Scripturæ S. sunt libri divinitus in-
 spirati (a) & ab Hagiographis, quasi Dei
 manu aut digito, (b) ad omnem (c) creatu-
 ram*

(a) II. ad Tim. 16. II. Petr. I. 21. S. Iren.
 adv. hæref. l. 2. c. 47. nunc 28.

(b) Exod. XXXI. v. 18. Ps. 44. v. 2. II. Reg.
 23. v. 2. S. Aug. in Ps. 8. & de Conf. Evang.
 l. I. c. 35. S. Greg. M. Præf. in lib. Job.

(c) Quia omnis Scriptura spectat ad Chri-
 stum, & ad Evangelium ejus omni creaturæ
 annun-

ram per scripti, ut credamus, quia *Jesus* Sæc. XVIII.
 est *Christus Filius Dei*, & ut credentes vi- A. C. 1726.
 tam habeamus in nomine ejus (d).

THESES II.

„Universarum Scripturarum prin-
 „cipium & finis (a), argumentum &
 „lumen est *Christus Jesus*, si quidem
 „ibi omnia, Verbo Dei firmata refe-
 „runtur ad mysteria, ad legem, ad
 „bona, ad gloriam Regni Christi &
 „Dei (b).

THESES III.

„Veteris quoque Testamenti Scri-
 „pturæ, Christianorum imprimis pro-
 „priæ sunt, ipsorum caussa ministra-
 „tæ

annuntiandum. Exod. 13. 14. Lev. I. Num. V.
 & VI. Deutr. V. XXVII. 8. XXXI. 9. 13.
 XXXII. 1. Pf. 48. v. 1. & 2. II. I. v. 2. Prov. 8.
 Marc. 16. v. 15. Luc. 24. v. 44, 48. Rom. 3.
 v. 19. 15. v. 4. I. Cor. I. S. Basil. ep. ad Chil.
 Anach. S. Hier. in Pf. 86. v. 6. S. Th. p. I. q. I.
 art. 9.

(d) Joan. 20. v. 31. Rom. 16. v. 25. 26.
 II. Tim. 3. 15. Rom. X. 4. 12.

(a) Apoc. 22. v. 13.

(b) 2. Reg. 33. 1. II. Cor. I. 20. Luc. 24.
 v. 44. Rom. X. 4. 8. S. Aug. tract. 2. in Joan.
 n. I. & 2.

Sæc. XVIII. „tæ (c), & mirabiliter custoditæ, ipsis
A. C. 1726. „cooperantibus inimicis (d).

THESIS IV.

„In ennarrabili Dei clementia, &
„dispensatione Codices Sacri in om-
„nium gentium linguas & terras trans-
„lati, atque vulgati sunt (e) tanquam
„salutare Dei, paratum ante faciem
„omnium populorum, lumen ad reve-
„lationem gentium & gloriam plebis
„ejus Israel, pascuis hortisque com-
„munibus, mensæ instructissimæ, om-
„nibusque paratæ, pharmacopolio at-
„que armamentario Universali (f).

THE.

(c) 1. Cor. X. 11. 2. Cor. III. 14. 16. 1. Petr. I.
11. 12. Euseb. de Præp. Evang. l. 8. c. 1.

(d) Matth. II. 4. 6. cap. 5. 17. c. 23. v. 2. 3.
Pf. 101. v. 19. S. Aug. in Pf. 56. n. 9. & Pf. 40.
n. 14. S. Aug. de Civit. Dei l. 18. n. 46. 47.

(e) Hujus rei prælusio est prodigium lin-
quarum in die Pentecostes. S. Aug. in Pf. 8.
n. 7. Theodor. ferm. 5. de curat. Græc.

(f) S. Basil. præm. in Pf. Chrysof. hom.
9. Pf. 118. v. 11. Paralip. 20. v. 20. &c. 1. Mach.
12. v. 9. 2. Mach. 8. v. 23. Matth. c. 4. v. 4.
7. 10. cap. 8. v. 16. c. 24. v. 15. S. Athan. Ep.
ad Marcell. S. Chryf. hom. 3. super Laz. Hom.
31. in Joan. S. Ephrem. ferm. 50. S. Amb.
in Pf. 43. n. 9.

THESIS V.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

„Scripturæ Divinæ merito assimi-
latæ sunt firmamento, luci, aeri, &
fonti publico (g).

THESIS VI.

„Scriptura Divina uti omnibus scri-
pta (h) ita universim omnibus accom-
modata (i) est, invitans omnes ad
mensuræ suæ delicias, atque suorum
arcana penetralium, præcipue autem
insinuat se, ac blanditur parvulis (k)
mansuetis (l) pauperibus spiritu (m).

S 5

THE-

(g) S. Aug. Confess. l. 13. c. 15. Eccli 24.
v. 44. Ps. 118. v. 105. Prov. 6. c. 23. S. Clem.
Alex. Exhort. ad gentes, & apud Damasc.
tom. 2. in Paralel. S. Cyril. Alex. l. de recta
in Deum fide, S. Aug. in Joan. tract. 124.

(h) Lactant. Instit. l. 6. c. 21. S. Aug. in
Ps. 8. de util. cred. c. 6.

(i) Eythym. Præf. in Ps. 1. & Greg. XIII.
ep. ad Philipp, II. Bibl. Reg. tom. 1. l. 1. Pe-
lus. l. 4. ep. 67. S. Hier. in Ps. 86. S. Prosp.
carm. de Apost.

(k) Ps. 18. v. 8. Ps. 118. Prov. 9. v. 1. & 6.
If. 28. v. 9. S. Aug. in ep. Joan. tract. 3.

(l) Ps. 24. v. 9. If. 61. v. 1.

(m) Ps. 21. v. 27. Ps. 67. v. 11. Matth. 5.
v. 3. c. 11. v. 5. Luc. 4. v. 18. cap. 14. v. 2.
1. Cor. 1. v. 26. & 28.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

THESIS VII.

„Infinita & ineffabilis est S. Scri-
pturæ sanctitas, dignitas, excellen-
tia, Majestas, sapientia, veracitas,
auctoritas, virtus & fecunditas.

THESIS VIII.

„Eadem est obscura (a) & clara (b)
profunda, & simplex, sublimis & de-
missa.

THESIS IX.

„Nihil potest ea in hoc genere esse
suavius, aut admirabilius, nihil sa-
lubrius aut utilius, nihil solidius, aut
firmius, optabilius aut magis necessa-
rium (c).

CA-

(a) Pf. 118. v. 18. If. 29. v. 11. 12.

(b) Pf. 18. v. 9. 118. v. 18. 105. Prov. 6.
v. 23. Sap. 6. v. 12. 17. 24. If. 29. v. 18.
S. Chryf. Conc. 3. de Laz. S. Aug. de doct.
Christ. l. 2 c. 6.

(c) Exod. 24. v. 12. Deut. 6. v. 6. 9. c. 31.
v. 26. Pf. 118. Eccli. 15. v. 3. If. 8. v. 20.
S. Aug. Confess. l. 8. c. 7. S. Chryf. Hom. 3.
sup. Laz. Hier. præm. comm. In ep. ad Eph.
& in Pf. 127.

CAPUT II.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

De Communibus erga S. Scripturam officiis, quatenus resultant ex variis ejusdem Scripturæ attributis.

THESIS I.

„Scripturæ S. donum est inæstimabile, e cælo descendens, thesauros continens sapientiæ & scientiæ Dei, neque enim est aliud, quam ipsius summi Dei purum Verbum atque ineffabile illius oraculum.

THESIS II.

„Cæleste hoc munus & cimelion a fidelibus omnibus summa gratitudine amplectendum, singulari cultu venerandum, religioseque custodiendum. eidem thesauri amorem exigunt, & studium invictissimum. Oracula illa omni fide & submissione dignissima sunt, utpote in quibus ipse Patris Sermo, Deique Spiritus præsens adorandus sit (d).

THE-

(d) II. Esdr. 8. v. 2. 8. c. 9. v. 3. S Ath. ep. ad Marcell. Orig. hom. 13. in Exod. S. Aug. hom. 26. Canon. 68. dist. 1. de Consecr.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

THESIS III.

„Consideranda est S. Scriptura velut
„ingens fax, lumen offerens cunctis
„peregrinatoribus, qui per avia & ca-
„liginosa hujus sæculi deserta ac maria
„in domum tendunt æternitatis (e).

THESIS IV.

„Quapropter nimis infelix est, quis
„quis in itinere tam horribili & peri-
„culoso salutiferæ hujus lucis solatium
„aut ignorat, aut negligit, quive a
„salutari ejus usu quoquo modo aver-
„titur aut præpeditur (f).

THESIS V.

„Considerandæ sunt Scripturæ S.
„velut Epistolæ quædam æterni Regis
„ad suam creaturam degenerem, ad
„filium prodigum sub hostium captivi-
„tate gementem, ad Sponsam adulte-
„ram, exulem, desolatam, vel ad
„eandem reconciliatam.

THE-

(e) Exod. 13. Luc. 1. v. 17. S. Aug. ep. 130.
ad Prob. n. 5. S. Hil. in vers. 105. Pf. 118.

(f) S. Chryf. Procem. in Ep. ad Rom. Eccli.
c. 5. v. 29. Sap. V. v. 6. S. Ambr. serm. 14. in
Pf. 118.

THESIS VI.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

„Accipienda est ergo Scriptura Di-
vina non minori cum gaudio & af-
fectu, quam a filio captivo, a spon-
sa repudiata, vel a reconciliata accipe-
retur Epistola manu Regis exarata,
per Legatum autem allata, in qua
negotium ageretur redemptionis Filii,
reconciliationis Sponsæ, vel testifica-
tio exhiberetur renovatæ charitatis.

THESIS VII.

„Libri Divini sunt libri Canonici &
proprii illius Scholæ, quam Sapiencia
æterna hic in terris habet, quique
tali schola imprimis digni sunt, adeo
ut facta comparatione ad scripta hu-
mana quantumvis excellentia, appli-
cari queat illud: *Sicut exaltantur cæli
a terra, ita exaltatæ sunt cogitationes meæ
a cogitationibus vestris &c.* Itemque,
*quid paleis ad triticum? Nunquid non
verba mea sunt, quasi ignis?*

THESIS VIII.

„In dictatis illis Divinis non minore
diligentia & studio (a) exercere se
„de-

(a) Prov. 8. Matth. 12. v. 42. c. 23. v. 10.
Luc. c. 11. 46. 52. c. 4. v. 16. & seqq. Act. 8.
v. 28.

Sæc. XVIII. „debet fidelis Christi Discipulus aut
 A. C. 1726. „Catechumenus, quam tyro v. g. ju-
 „risprudentiæ aut alterius disciplinæ
 „candidatus exerceat se in illo Auctore,
 „qui in schola ejus prælegitur, aut
 „puer Christianus in libro Catechistico,
 „quem Pastor aut Catechista exponit.

THESIS IX.

„S. Literæ præscribunt regulam &
 „statuta Religionis atque Ordinis Chri-
 „stianorum, quæ in Baptismo profite-
 „mur, & super quibus judicabimur (b).

THESIS X.

„Lex igitur Divina, regulaque E-
 „vangelica scripto divinitus consignata
 „non minori sollicitudine & attentione
 „addiscenda, tenenda & observanda est
 „a Christianæ Religionis cultore, quam
 „a bono Monacho perdisci consueve-
 „rint, & impleri ea, quæ ad discipli-
 „nam

v. 28. 31. 34. 35. S. Chryf. Hom. 10. in Joan.
 S. Cyril. Hier. Catech. 4.

(b) Marthen. de Antiq. Eccl. Rit. l. I. art.
 12. Deut. 27. v. 26. c. 33. v. 2. Joan. v. 45.
 c. 12. v. 48. Gal. 3. v. 10. Tess. I. v. 10. Hebr.
 4. v. 12. 13. Zach. v. 2. 3. Jacob II. 10. 12.
 Apoc. 14. v. 6. 7.

„nam Monasticam spectare noscuntur Sæc. XVIII.
 „statuta. A. C. 1726.

THESIS XI.

„Codex Divinus continet mysteria,
 „edicta, & mandata Regni Cælorum
 „a Christo Domino fundati, ejusdem-
 „que Regni commentarios & acta.

THESIS XII.

„Nunquid hæc minorem attentio-
 „nem, diligentiam atque observantiam
 „requirunt a Christicolis, quam Re-
 „gum hujus terræ sacramenta, diplo-
 „mata & gesta obtinere soleant a sub-
 „ditis & Ministris temporalibus?

THESIS XIII.

„Utriusque Instrumenti sacrosanctæ
 „Paginæ exhibent nobis tabulas & syn-
 „graphas, bonorum ac promissionum
 „novi & æterni Testamenti, velut
 „manu Dei signati, & pretioso utique
 „sanguine Filii ipsius Unigeniti, ac
 „mundi Redemptoris, consecrati,

THESIS XIV.

„Nemo igitur miseris mortalibus a
 „Domino peregrinantibus, regenera-
 „tis interim in spem vivam, in hæredi-
 „tatem

Sæc. XVIII. „tatem incorruptibilem, conservatam
 A. C. 1725 „in cælis, invidet consolationem &
 „pacem, quam ex instrumentis illis &
 „codicillis sacrosanctis accipere da-
 „tum est (a).

CAPUT III.

*De Cultu & studio, qui S. Scripturis
 omni tempore exhibitus me-
 rito fuit.*

THESIS I.

„Hæbrei omnes, populus Dei an-
 „tiquus, sine discrimine conditionis,
 „ætatis, aut sexus lectioni Divinarum
 „Scripturarum V. T. seu publicæ seu
 „privatæ adstrictus fuit, illique a tem-
 „pore captivitatis Babylonicæ incre-
 „dibili semper studio incubuit, quæ
 „consuetudo legitur a Christo Domino
 „& Apostolis comprobata & conse-
 „crata (b).

THE-

(a) I. Mach. 12. v. 9. 10. Bossuet in Apoc.
 c. 1. v. 3. S. Aug. Confess. l. 4. c. 4. Jacob. 2.
 v. 5. 1. Petri.

(b) Orig. Hom. I. in Cant. S. Greg. Naz.
 orat. 1. Deutr. 6. v. 6. c. 31. v. 2. Jos. 8. v. 34
 & 35. Paral. 34. v. 30. II. Esdr. 8. v. 1. c. 9.
 v. 3. Flav. Jos. l. 2. contr. Apion. c. 6. & 7.
 item

THESIS II.

Sæc. XVIII.

A. C. 1726.

„Mira quoque est Judæorum reli-
 „gio ac Zelus, quem usque in hodie-
 „num diem ostendere pergunt in cu-
 „stodiendis, describendis, edendis,
 „honorandis, ediscendis Codicibus suis
 „sacris. In qua re arcanum viget pro-
 „videntiæ Divinæ cum ad conversio-
 „nem Gentium, tum ad Judæorum re-
 „ditum pertinens.

THESIS III.

„A temporibus Apostolorum usque
 „modo utriusque Testamenti sacratas
 „paginas omni creaturæ solemni ritu
 „prælegit & annuntiat Ecclesia Dei,
 „& sic porro præleget, & annuntiabit
 „usque ad consummationem sæculi (a).

THE-

item Antiq. l. 4. c. ult. Philo de vita con-
 tempt. Luc. 2. v. 46. c. 4. v. 16. 20. cap. 16.
 v. 29. Joan. v. 39. Act. 8. v. 28. 29. cap. 13.
 v. 27. c. 15. v. 21. c. 17. v. 11. Gal. 4. v. 21.
 II. Tim. c. 1. v. 5. c. 3. v. 15. II. Petr. cap. 1.
 vers. 19.

(a) Rom. 10. v. 6. & 18. Deutr. 35. v. 12.
 S. Justin. Apol. II. Tant. Apol. c. 39. ad uxor.
 l. 2. c. 6. Aug. de Civit. Dei l. 2. c. 26. l. 22.
 c. 8. Trid. Sess. 24. c. 4. & 7. Bona Rer. Lit.
 l. 2. c. 6. & 7. Eccli 24. v. 46. Matth. 26. v. 13.
 S. Aug. in Joan. tract. 30.

Hist. Eccles. Tom. LXXII,

T

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

THESIS IV.

„Hæ S. lectiones institutæ sunt &
„ordinatæ ad doctrinam & perfectio-
„nem fidelium, ad eruditionem Cate-
„chumenorum, ad conversionem pec-
„catorum & infidelium, nam hi ad
„illas convocabantur.

THESIS V.

„Quæ inter Missarum solemnia ha-
„bentur Scripturæ S. Lectiones, con-
„nexionem præferunt tam arctam at-
„que excellentem cum oblatione, con-
„secratione, & communione sacra, ut
„totius Liturgiæ pars dicendæ sint
„quali essentialis.

THESIS VI.

„Id, quod elucet ex admirabili ana-
„logia, quæ subest inter ritum, quo
„Moyſes antiquum fædus sancivit, novi
„ubique præfigurativum, & inter ipsam
„Liturgiam, live Missæ Officium, in
„quo legis & sacrificii, Novi & æterni
„Testamenti celebratu commemoratio,
„renovatio, continuatio.

THESIS VII.

„Eo facere potest alia super excel-
„lens analogia, quæ subluceat inter so-
„lemnem ritum, ordinemque S. Missæ
„Offi-

„Officii, quo repræsentatur pignus, Sæc. XVIII.
 „& prægustatio vitæ æternæ, & inter A. C. 1726.
 „visiones Apocalipticas B. Joannis, qui
 „bus non solum ministrantium & affi-
 „stentium coordinatio, sed & gloriosa
 „lectio libri Sacri & fidelium oblatio-
 „nes, & Sacrificatio Agni ejusdem-
 „que cæna nuptialis in cælo demon-
 „strantur.

THESIS VIII.

„Superioribus Ecclesiæ sæculis Scri-
 „pturæ S. Lectio privata passim a fi-
 „delibus omnis ætatis, conditionis &
 „sexus studiose fuit frequentata, quem
 „religiosum usum Patres omnes una-
 „nimi consensu velut cum salute con-
 „junctissimum, modis omnibus com-
 „probarunt, & constabiliverunt (b).

THESIS IX.

„Disciplinæ literariæ atque huma-
 „nitatis studia uti ad S. literarum &
 „Religionis scientiam præcipue refe-
 „renda sunt, ita quoque S. Literæ hu-
 „ma-
 T 2

(b) Aëtior. 17. v. 11. S. Chryf. in 1. Cor.
 Hom. 6, & 3. super Laz. S. Aug. de Agon.
 Christi c. 28. Castor. de lect. S. Script. c. 10.
 & 18. Dupin Proleg. in Bibl. l. 1. c. 9. §. 13.
 P. Cherub. a S. Joseph Carmelit. Disc. Bibl.
 Critic. Tom. I.

Sæc. XVIII. „maniorum artium amœnitate non pro-
A. C. 1726. „fus desititæ sunt.

CAPUT. IV.

*De speciali jure Sacerdotum circa Scri-
 pturas Sacras.*

THESIS I.

„Scripturæ Divinæ specialiter com-
 „missæ sunt Sacerdotibus custodiendæ
 „quoad literam, & quoad sensum quam
 „religiosissime.

THESIS II.

„Sacerdotum est libris Sanctis de-
 „bitum honorem & reverentiam decer-
 „nere, eundemque iis vindicare.

THESIS III.

„Item intendere & invigilare S. Li-
 „terarum descriptionibus ac editioni-
 „bus.

THESIS IV.

„Eorum quoque est versiones Bi-
 „bliorum maxime vitiatas notare aut
 „proscribere.

THESIS V.

„Sed interim alias sinceras curare,
 „& approbare translationes.

THE

THESIS VI.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

„Munus Ministrorum, Doctorum-
„que Ecclesiasticorum proprium est li-
„bros Sacros publice prælegere, atque
„explicare, idque sincere, sicut ex Deo,
„coram Deo, in Christo.

THESIS VII.

„Eorum est utpote Magistrorum
„scholæ Christi, S. Scripturarum stu-
„dia diligenter commendare, pruden-
„ter dirigere, ac omnibus modis pro-
„movere in salutem.

THESIS VIII.

„Ipsorum item est, qua legatorum
„ac Præconum Dei & Christi, verba
„illa, ac mandata vitæ æternæ ubique,
„publice, ac per domos annuntiare,
„insinuare, interpretari, inculcare,
„propugnare omni modo, omni occa-
„sione & via, atque ita negotium a-
„gere reconciliationis humanæ, pro-
„pagare Sacerdotale Regnum J. C.

THESIS IX.

„Monstri simile est, ipsaque infeli-
„citas & pernicies, velle in Ecclesia
„sancta Dei, munus Pastoris, Docto-
„ris, Ecclesiastæ, vel etiam Presby-
„teri obire, & non esse S. literarum
„apprime studiosum ac peritum.

T 3

CA-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

CAPUT V.

De speciali jure Principis & potestatis secularis circa S. Scripturas.

THESIS I.

„Principem, ejusque Ministros exemplar Codicis Sacri accipere decet a Sacerdotibus (a).

THESIS II.

„Oportet eum speciali studio concurrere ad Scripturarum custodiam, venerationem, auctoritatem & honorem (b).

THESIS III.

„Item ad editiones & versiones earum.

THESIS IV.

„Concurrere etiam ad earum publicationem ac fructum, ordinando, quoad ejus fieri potest, prælectiones sacras cum expositione in Parochiis, Academiis, in ludis literariis, in Missionibus Evangelicis.

THE-

(a) Deutr. 17. v. 18. 19. II. Paral. 23. v. 11. Guil. Zenocharus in vita Caroli V. Euseb. l. 7. Hist. c. 14.

(b) Josue 24. v. 26. IV. Reg. c. 22. v. 10. & seqq. I. Paral. c. 16.

THESIS V.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

„Tantumdem facere per multipli-
 „cationem Sacrorum exemplarium,
 „eorumque gratuitam distributionem
 „opus est regali munificentia ac pie-
 „tate dignissimum (a).

THESIS VI.

„Singulari titulo tenetur Princeps,
 „uti & Magistratus civilis, Sacra vo-
 „lumina jugiter volvere ac pie medi-
 „tari (b).

THESIS VII.

„Tenetur quoque S. librorum reli-
 „gionem, usumque legitimum diligen-
 „ter curare, strenue vindicare.

THESIS VIII.

„Origines & fundamenta juris five
 „Canonici five Civilis, five publici five
 „privati, sicut & Judicis Officia nus-
 „quam feliciter aut solidius, quam in
 T 4 „Scri-

(a) Vid. vit. Ambros. 17. Martii. S. Hier.
 l. I. contra Ruffin. Euseb. de vita Const. l. 3.
 c. I. Dupin. Dissert. in Bibl. lib. I. c. 9.

(b) Deutr. 17. v. 18. 19. Josue c. I. v. 8.
 II. Paral. 23. v. 11. Ps. 131. v. 12. S. Paulin.
 Nol. Epist. 16. ad Jov. S. Nilus Ep. 304. ad
 Num. nunc lib. 2. ep. 198.

Sæc. XVIII. „Scripturis Divinis constituuntur, in-
 A. C. 1726. „deque imprimis eruenda sunt.

CAPUT VI.

De Jure Plebis circa S. Biblia.

THESIS I.

„Habet populus jus non contemnen-
 „dum, ut Scripturis Divinis tanquam
 „Dei dono inenarrabili gaudeat, ut-
 „turque ad salutem suam æternam,
 „quæ ibi offertur omni creaturæ, quæ
 „sub cælo est (c).

THESIS II.

„A Scripturarum disciplina & Le-
 „ctione nemo sua conditione excludi-
 „tur, non magis certe, quam a salute
 „in Christo Jesu (d).

THESIS III.

„Populus fidelis tenetur venire ad
 „earum Lectionem & explicationem
 „in

(c) Cap. 1. Theff. v, 1. 4. 5. 6. 9. & cap. 2.
 & 3. Apoc. 22. v. 10. Iren. adv. hæres. l. 5.
 c. 20. Theodoret. in 1. Theff. v. 5. Rupert.
 Abb. l. 4. de Spiritu S. tom. 1. pag. 641.

(d) Marc. 16. v. 15. 16. Luc. 24. v. 44. 48.
 Joan. 1, v. 9. Act. 10. v. 34. Coloss. 3. v. 11.
 16. 18. 22. Tit. 2. v. 10. 12. & epist. ad Theff.

„Parochiis ordinatam, easdemque o-
 „porteret domi prælibare, revolvere, Sæc. XVIII.
 „ruminare (a). A. C. 1726.

THE-
 S I S I V .

„Patres familias, similesque Supe-
 „riores tenentur suos domi (quoad fieri
 „potest) ex S. Scripturis docere & in-
 „struere, eas prælegendo, explicando,
 „curando, ut legant, ediscant, au-
 „diant, diligenter ac religiose (b).

T 5

THE-

(a) Luc. 2. v. 46. c. 4. v. 16. Joan. 8. v. 47.
 c. 10. v. 3. Act. 2. v. 42. c. 8. v. 31. cap. 14.
 v. 22. e. 20. v. 7. & 28. Rom. 10. v. 14. 17.
 1. Cor. 11. v. 20. & 22. Hebr. 10. v. 25. 1. Petr.
 2. 5. Apolog. S. Justin. S. Aug. in Prolog. de
 doct. Christ. n. 5. Can. 25. dist. 1. de consecr.
 5. C. 24. S. Cyril. Jeros. Catech. 13. num. 3.
 S. Chryf. hom. 10. & 31. in Joan. S. August.
 serm. 56. & 57. de Temp. item 38. de San-
 ctis. S. Cæs. Arel. serm. 141. in App. Tom. V.
 Oper. S. Aug.

(b) Deutr. c. 6. v. 7. & seqq. Tob. 1. v.
 8. 10. & c. 6. v. 6. cap. 13. & 14. v. 5. 11.
 Pf. 77. v. 38. Pf. 101. Tertul. 1. 2. ad uxor.
 c. 6. & ult. Auctor Const. Apost. lib. 4. c. 11.
 Basil. in Reg. disp. q. 15. S. Chryf. in Joan.
 Hom. 2. in epist. ad Cor. hom. 39. in epist. ad
 Ephes. Hom. 21. in 1. Theff. Hom. 7. serm. 3.
 de Lazar. S. Hier. epist. 57. ad Lætam. 98.
 ad Gaud.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

THESIS V.

„Ad legis Divinæ assiduam medi-
„tationem laici & quidem omnes, val-
„de arcte obligantur jure Divino & na-
„turali (c).

THESIS VI.

„Ad privatam S. Scripturarum le-
„ctionem, salva submissione erga di-
„rectionem & interpretationem Eccle-
„siæ, jus per se habent omnes (d).

THESIS VII.

„S. Literæ saluberrime ediscuntur
„memoriter etiam a teneris (e).

THE

(c) Euf. Hist. l. 2. cap. 16. & 17. S. Basil. ad Eleut. Ep. 285. S. Ambr. in Ps. 36. & 113. S. Chryf. in Joan. Hom. 31. in ep. ad Coloss. Hom. 9. serm. de Pseudoproph. S. Aug. in Ps. 103. serm. 1. n. 4. S. Greg. in Job. l. 2. ser. S. Leo serm. 91. de Quadr. c. 4. Adrianus VI. apud Espencæum comm. pag. 255.

(d) Ps. 93. v. 12. Apoc. 1. v. 3. Bossuet. S. Iren. l. 5. c. 20. S. Greg. Naz. de moder. disput. S. Basil. Reg. abbr. q. 9. S. Chrysoft. Hom. 37. in Genes. Hieron. in Ps. 127. S. Nil. l. 2. ep. 27. S. Aug. ep. in Joan. tract. 3.

(e) Deutr. 31. v. 19. 21. 30. c. 32. v. 1. 43. Ps. 33. v. 9. Ps. 118. v. 11. Prov. 7. Luc. 11. v. 28.

THESIS VIII.

„Tanto ardentius deberent laici
 „eas privatim legere vel audire, pru-
 „denter tamen & pie, quo negligenti-
 „us publice prælegerentur aut an-
 „nuntiarentur.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

THESIS IX.

„Præsertim autem ad eas confu-
 „gere oporteret, caute scilicet & sim-
 „pliciter in die nubis & caliginis, in pe-
 „riculis erroris aut seductionis.

THESIS X.

„Tenentur libros S. religiose vene-
 „rari & servare, etiam interdum cum
 „periculo vitæ.

THESIS XI.

„Tantum abest, ut Laici a studio
 „S. Literarum sincero illo & conve-
 „niente excusandi sint prætextu igno-
 „rantix, vitiorum, paupertatis, ne-
 „gotiorum, obscuritatis earum, aut
 „abusus nimis communis, ut econ-
 „tra-

v. 28. Ezech. 3. S. Clem. Pap. ep. 1. ad Cor
 S. Pachom. Regul. n. 140. S. Aug. tract. 2.
 in Joan. & de Doctr. Christ. l. 2. c. 9. S. Chryf.
 hom. 2. in Matth. S. Hier. ep. 47. ad Furiam
 & 27. in Epitaph. Paulæ.

Sæc. XVIII „trario ex his titulis magis tenean-
 A. C. 1726. „tur (a).

COROLLARIA.

- I. Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est (*S. Hieron. Proem. in Isaiam apud Gratian Dist. 38. C. 9.*)
- II. Cum juxta testimonium veritatis, „ocasio sit errorum ignorantia Scri- „pturarum, cunctis expedit illas le- „gere vel audire, (*Verba sunt Gre- gorii IX. in Tom. Conc. Epist. 2. ad Germ. Archiep.*)
- III. Magna adversus peccatum munitio „est Scripturarum lectio: magnum „præcipitium, profundum barath- „rum Scripturarum ignoratio; ma- „gna Salutis perditio nihil scire ex „Divinis legibus: ea res & hæreses „peperit, & vitam corruptam in- „vexit; hoc sursum deorsum miscuit „omnia. (*Ita S. Joan. Chrysostom. Hom.*)

(a) Eccli 51. v. 31. 33. S. Chryf. Hom. 10. in Joan, & 2. in Matth. & 31. in Joan. I. Machab. 3. v. 48. Matth. 4. v. 6. 7. & cap. 22 v. 23. hos prætextus confutant S. Chryf. Hom. 3. de Lazar. S. Cæsar. Arel. serm. 303. in Append. S. Aug. & alii, quos vide apud P. Cherubinum a S. Joseph, *Bibl. Critic. Tom. I. pag. 142, 144, & seqq.*

Hom. 3. die Lazar. Idem sensit S. The- Sæc. XVIII.
 „resia apud de Lapide proemio in A. C. 1726.
 Evang. J. C.

- IV. „Cum dicit Apostolus, scripta
 „sunt propter nos, proculdubio de-
 „monstrat, quanta nobis cura legen-
 „da & intelligenda & in quanta au-
 „ctoritate habenda sint. . . . Et
 „utique impium est ut non legamus
 „nos quod scriptum est propter nos.
 (Excerpta hæc sunt ex S. August. con-
 tra Faust. Lib. VI. cap. 2. & 9.)
- V. „Ipsa Sacra eloquia ad æternam
 „damnationem sunt iis, qui illa
 „vel scire nolunt, vel certe scien-
 „do contemnunt. (Ita S. Grego-
 rias M. Lib. V. Moral. cap. 8. II. Thess. I.
 v. 8).
- VI. In Scripturis S. quærenda sunt
 veritas, charitas & vita æterna, non
 inanis eloquentia. (Eccli XXXII:
 18. 19. Vide auctorem de imitatione
 Christi Lib. I. cap. 5.)
- VII. Legenda est Sacra Scriptura non
 ut sciamus aut sciamur, sed ut nos-
 metipsum imprimis, & forte alios
 ædificemus. (Vide ibidem),
- VIII. Eo utilius legetur, quo humi-
 lius, simplicius, & fidelius in Christo.
 (Vide ibidem). Cæterum præpara-
 tiones & affectus animi, quos acqui-
 rit a discipulo suo verbum Dei mi-
 rifice

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

- rifice exprimentur in quadam præ-
catione (*S. August. Confess. Lib. XI.*
cap. 2. NB. Nihil tamen æque va-
leat ad excitandum & disponendum
cor nostrum, ut decet, erga dei-
ficas scripturas quam *Pf. CXVIII.*)
- IX. In rebus fidei & morum nemini
licet interpretari Scripturam S. con-
tra unanimum Patrum consensum.
(*Vide 2. Petr. I. 20. S. August. in*
Joan. tract. 18. Concil. Trid. Sess. 4.)
- X. In istiusmodi autem controversiis
acquiescendum est declarationi S. M.
Ecclesiæ, quippe cujus est judicare
de vero sensu, & interpretatione
Scripturarum Sacrarum. (*Vide Cont.*
Trid. ibid. confer. Luc XXIV. 45.
1. Cor. XII. 28. Ephes. IV. 11, 14.)
- XI. Dicere Biblia ab Ecclesia Catho-
lica esse prohibita, est calumnia,
seu blasphemia potius, inter om-
nes, quæ Christi sponsæ impingi pos-
sent, atrocissima. (*Vide contro-*
versitas passim V. G. Veronii Re-
gulam fidei cap. 2. §. 6. apud Walen-
burghicos.)
- XII. Sub obtentu ementitæ illius pro-
hibitionis exemplaria Bibliorum,
aut Novi Testamenti in ignem pro-
jicere (sicut a quibusdam factita-
tum memoratur.) Sacrilegium fo-
ret, quod vindictam cælestem in
publi-

publicum arcessat, nisi auctoritate Sæc. XVIII.
 publica expiatur. (Isai V. 24. 25. A. C. 1726.
 Jerem. XXXVI. 23. 31. jejunium
 diei septimæ Mensis non ob hoc
 scelus, apud judæos indictum, &
 etiamnum servare asseritur. (*Vide*
Bibl. Vitre annot. in hunc locum.)

Has theses quidam Lovanienses Theo-
 logi, qui earum Authores extiterant,
 Zægero Bernardo Van- Espen tum ce-
 leberrimo Universitatis hujus Profes-
 sori consignabant, ejus judicio, atque
 examini relinquentes, quis earum usus
 foret. Hic vero hoc opus *sedulo pon-*
deratum tanquam *publici quoad S. Literas*
juris compendium esse pronuntiavit, illud-
 que non sine magno encomio die sexta
 Novembris hoc anno approbatum, prælo
 dignissimum esse censuit: Enimvero
 illa, quam animo imbiberat, hujus o-
 peris existimatio non patiebatur, ut
 in sola hac approbatione hæreret, quo-
 circa aliam mox edidit epistolam, in
 qua has theses ipse adoptavit, easque
 sibi proprias fecit, suisque Operibus
 inferi voluit. Nec id mirum; notum
 enim est, quod hic Doctor opinionem
 de licita S. Literarum promiscua le-
 ctione tam pertinaciter propugnarit, ut
 Pontificiam prohibitionem hac de re
 factam eludere, omni ope & opera co-
 natus fuerit, eoque sine jam die 28.
 Julii

Sæc. XVIII. Julii 1717. Lovanii Consultationem e-
 A. C. 1726. diderit, in qua probare molitus est,
 quod Regula IV. Indicis Romani in Bel-
 gio recepta nunquam fuerit. Id evin-
 cere putabat ex eo, quia, cum post
 hunc Indicem a Pio IV. Anno 1564. e-
 ditum quidam libri, etsi prohibiti, uti-
 liter & cum fructu ibidem perlegi posse
 viderentur, Albæ Dux Antverpiæ Cen-
 sorum Collegium Præsidente Aria Mon-
 tano constituit, ut Hi maturo consilio
 ea, quæ Præsules & Academiæ contra
 Romanum Indicem movissent, discute-
 rent, & expurgatum Indicem ederent.
 Hi ergo Censuram seu libellum sub hoc
 titulo: *Index expurgatorius*, jussu Albani
 Ducis die ultima Julii Anno 1571. e-
 vulgarunt, addito speciali Regis edicto,
 vi cujus prohibitum, *ne quis hunc Indi-
 cem aliqua parte augeat, vel minuat, neve
 ex impressis manuscriptum exprimat, citra
 Gubernatoris & Consilii auctoritatem.* Cum
 autem hi Censores ex Romani Indicis
 Regulis nonnisi quatuor, scilicet se-
 cundam, quintam, septimam & octa-
 vam adoptarent, ceteras vero ac præ-
 cipue quartam de lectione S. Scripturæ
 in lingua vulgari expungerent, exinde
 inferebat Van - Espenius, expunctas
 has Regulas in Belgio nunquam fuisse
 receptas, proin S. Codicis lectionem
 ibidem promiscue omnibus esse non
 modo

modo permissam, sed vel maxime com- Sæc. XVIII.
mendandam: A. C. 1726.

Huic opinioni jam dudum sese acriter opposuere ceteri Lovanienses Doctores; nec id sine valida ratione; præterquam enim, quod in Synodo Provinciali Cameracensi Anno 1586. statutum fuisset, *non esse permittendos cuivis de populo libros S. Scripturæ in lingua vernacula, contra Regulam IV. Indicis, nisi de licentia Episcoporum aut Deputatorum ab iis;* præcipue novum robur eorum sententiæ accedere videbatur, ex Constitutione Clementis XI. qua inter damnatas Quesneli propositiones proscribuntur illæ, quæ Laicis promiscuam S. Codicis lectionem inculcabant. Inde ergo aucta erat inter Theologos controversia, cujus Historiam non meis, sed illius, qui Espencæi vitam Coloniz 1777. edidit, huc adduco, qui ita pag. 104. scribit:

„His addere aggredimur ejus contestationis historiam, contestationis, inquam, quam Doctor noster *tristem* & *perniciosam* appellat, super Sacræ Scripturæ lectione, vulgari lingua, quæque tum quoque Lovanii Theologos in contrarias partes trahebat, cum ipse Anno 1726. Theses, quæ nos in præsentia detinent, approbat. Controversia hæc in Belgio quidem proprie

Hist. Eccles. Tom. LXXII. II An-

Prop. 79.
80. 81. 82.
& seqq.

Sec. XVII. „Anno 1690. cum Episcopatu Præfulis
 A. C. 1726. „de Præcipiano ortum habuerat. Ad
 „illud usque tempus Lovanienses Theo-
 „logi, & Belgici Cleri Corpus unanimi
 „sententia utilitatem lectionis Sacræ
 „Scripturæ in vernaculam linguam
 „translatæ docuerant, fideles, a quibus
 „consulebantur, ad ejus usum hortati
 „fuerant, iisdemque ipsi per elaboratas
 „versiones ad id adjumenta suppedita-
 „verant, Ad hanc lectionem, ut sum-
 „mum, nihil aliud quam Parochi aut
 „Confessarii venia requirebatur, ibi-
 „dem Novi Testamenti Montium cele-
 „bris versio jam omnium manibus te-
 „rebatur. Ejus lectionem commen-
 „daverat Steyaertius, quippe quam
 „sine alio Commentario ad ipsam Epi-
 „stolarum S. Pauli intellectionem satis
 „esse judicaret. Mechliniense Par-
 „lamentum suppressit vetuitque execu-
 „tionem Decreti Romanæ Inquisitionis
 „die 20. Aprili Anno 1668. quod eam
 „prohibebat. Jesuitæ solum & eorum
 „affectæ, qui nondum proprie Lovaniensis
 „Universitatis Corpus subierant,
 „sancto huic usui apertum bellum in-
 „dixerant. Steyaertius ipse, cum eum
 „impugnare cæpit, suam saltem ob-
 „servantiam erga antiquitatis super hoc
 „articulo doctrinam & disciplinam pro-
 „fiteri coactus fuit, suis in *Aphorismis*
 „do-

„docens, olim Dei verbum a quovis Sæc. XVIII,
 „indiscriminatim e populo lectum fuisse, A. C. 1726.
 „ac tantum abfuisse, ut ejusmodi lectio vetita
 „cuiquam esset, ut ad eam potius Episcopi
 „neminem non vehementer, idque concitatis
 „sermonibus hortarentur, ut primo ipsa fronte
 „non utilem modo, sed omnino necessariam
 „proponere viderentur. Eum tamen non
 „impedit Confessio hæc, quin Mense
 „Novembri Anno 1690. aliquot solum
 „post mensibus, quam Præsul de Præ-
 „cipiano possessionem inierat, unacum
 „Patre Harney (qui, ut ille, volebat
 „Jesuitis obsequi, qui sub novo Præ-
 „sule, prope dixerim omnipotentes e-
 „vaserant) se suorum Confratrum de-
 „nuntiatorem, super quæstione de Sa-
 „cræ Scripturæ lectione, vulgari lin-
 „gua, statueret: Articuli 18. & 19.
 „ex 42. denuntiatis exprimebant Lo-
 „vaniensis scholæ vetera sensa super
 „hoc magni ponderis argumento, tam-
 „etsi non sine omnibus circumscriptio-
 „nibus, quas postulare poterat tempo-
 „rum ratio. Denuntiationem hanc secu-
 „tum est novi Archiepiscopi decretum
 „Januarii die 9. Anno 1691. datum,
 „quod universim prohibebat, ne quis
 „Sacras Literas vulgari sermone ex-
 „positas legeret, absque eorum expressa
 „venia, quibus, aiebat, in id facul-
 „tas concessa fuerat. Mandatum hoc

U 2.

„fir-

Sæc. XVIII. „firmavit celebris Epistola Pastoralis
 A. C. 1726. „die 12. Octobris Anni sequentis 1692.
 „In ea Præsul lectionem hanc exhibe-
 „bat veluti tum quoque *periculosam*, cum
 „Auctores *approbati & Catholici* versio-
 „nes ediderant. „ Hæc epocha Con-
 troversix fuit, cui tandem finem im-
 poni Van - Espenius tam vehementer
 optabat.

*Epist. Van-
 Espen ad
 Langle
 Bolon. Ep.
 16. Martii
 1722.*

Ex his igitur luculenter patet, Lo-
 vanienses Theologos theses suas eo fine
 composuisse, ut propositiones a Cle-
 mente XI. proscriptas defenderent, in
 hoc Espencæi exemplum secuti, qui
 ipsam hanc Pontificis Constitutionem
 eo etiam ex capite, aut potius ex falso
 hoc obtentu recipere renuebat, perin-
 de ac si illa *S. Liturgiæ ritibus adversari*
videretur, cum ab Apostolorum temporibus
ad hæc usque tempora in Ecclesia religiose
servatus jisset mos, ut nunquam Divina
Mysteria celebrarentur, quin prius aliquid
e S. Literis populo prælegeretur. Nihilo-
 minus hi Theologi obtinere haud pote-
 rant, ut suas theses publica auctoritate
 probatas vulgare possent, etsi in causæ
 suæ subsidium adduxissent ea verba,
 quæ Benedictus XIV. in nova sua In-
 dicis Romani editione Pag. VI. ad Re-
 gulam IV. addi jussit, scilicet: *Quod si*
hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lin-
qua fuerint ab Apostolica Sede approbata,
 aut

aut editæ cum annotationibus desumptis ex Sæc. XVIII.
 sanctis Ecclesie Patribus, vel ex doctis, A. C. 1726.
 Catholicisque Viris, conceduntur. Decr.
 S. Congr. Ind. 13. Junii 1757.

§. LIV.

*Gravis infirmitas Cardinalis
 Noaillii.*

Mensem Decembrem Noaillius Cardinalis sibi vix non exitialem habebat; Septuagesimum quippe ætatis annum ingressus, fractas & adeo imminutas vires senserat, ut ipsa languentis corporis moles eidem permolesta esset, pedesque nimia debilitate subsidentes officium denegarent: Accessit etiam tanta memoriæ debilitas, ut eorum quoque, quæ plurimum cordi erant, penitus oblivisceretur, & vix binas vel ternas lineolas ex literis, quæ ad ipsum circa Diæcesis suæ negotia datæ fuerant, perlegere posset, quin gravissimus eum lethargus obrueret. Expergefactus ab amicis, ægre oculos aperuit, moxque taciturno decubitu membra marcentia ad lectum demisit, sermonis, ut in magna defatigatione fieri amat, fastidio: Insuper fugere vigor & acies oculorum videbatur. Paucis, Noaillius in mortis necessitate erat constitutus. Hæc ipsa periculi gravitas Me-

Sæc. XVIII
A. C. 1726

nacierum Abbatem, qui Noaillio a confessionibus erat, perurgebat, ut de gravissimo animæ negotio cum eo ageret. Præprimis igitur solari languentem, & morbi magnitudine & periculo consternatum erigere aggreditur, demum cuncta proponit, & agit ad seriam antecedæ vitæ expiationem utilia, & quidem comitate penitus ad hunc temporis articulum accommoda. Progressu deinde sermonis ac solatii, decumbentem serio admonet, ut præprimis Deo & Ecclesiæ sese reconciliet, ac postremum temporis punctum in hoc defigat, ut quam graviter diuque Ecclesiam turbavit, mente revolvat ac serio consideret, se a Jansenistis pro Antesignano haberi, si ergo Constitutionem *pure & simpliciter* acceptaturus esset, ejus exemplo universam Diæcesin ad obsequium reversuram, moxque redituram pacem tot votis exoptatam: in foribus mortem esse, & unacum mortis hora tot malorum memoriam ex mentis angore, tacitisque conscientiæ conviciis horrendam fore, nil autem suo honori magis adversum, nil animæ suæ magis perniciosum esse, quam si mortem oppeteret ab Ecclesiæ, sacræque Sedis unione segregatus, a Galliæ Episcopis exclusus, ab exteris pro schismatico, & tot calamitatum Auctore habitus: rationem

nem quoque Deo esse reddendam pro suis Diæcesanis, quibus ejus perti-
 nacia fructum & gratiam Anni sæcu-
 laris ademisset, proin eorum gemitus
 & querelas ipsius auribus fore haud to-
 lerandas &c. Nec solus hic Abbas e-
 jusmodi monita verbis in omnem gra-
 vitationem compositis Cardinali ingesserat,
 sed etiam Cancellarius Vivantus, Pa-
 rochus ad S. Paulum, Patrum Oratorii
 Generalis, Couetus Abbas, Aguesseus
 Cancellarius, & præcipue Noaillius
 Dux, & Princeps Grandemontia idem
 suadebant. Præter hos alii quoque e-
 jusdem Amici omnes intendebant ner-
 vos, ut illum ad debitæ submissionis
 propositum inducerent. Hos inter
 Noaillius Dux eum rogabat, ut Fran-
 ciæ Episcopis, Cardinalibus & summo
 Pontifici reconciliatus ad ultimam ani-
 mæ suæ luctam sese accingeret, ac pro-
 pterea Constitutionem, eo modo, quo
 Clerus Gallicanus illam Anno 1714. re-
 cepisset, adoptaret, hancque in rem
 ad formam hujus acceptationis episto-
 lam encyclicam publici juris faceret,
 eique suæ Instructionis Pastoralis om-
 niumque, quæ contra Constitutionem
 egisset, vel scripsisset, revocationem
 adderet. Horum consilio cessasse vide-
 batur Cardinalis; eo enim annuente
 Couetus ad normam illius scripti, quod

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

Sæc. XVIII. octo abhinc Mensibus Senonensis Archiepiscopus vulgaverat, epistolam, quam Galli *mandatum* vocant, confecit, in qua ex aliorum consilio studiose præcavit, ne Clerum, & Regulares ad mandati sui acceptationem compelleret: Alii vero omnino petebant, ut Cardinalis suum mandatum in Ecclesiis prælegi, & ad omnes Regularium Domos transmitti juberet, eo quod Molinistæ Noaillio gravissimas hucusque intulissent molestias, potissimum eo ex capite, quod ipsius mandatum clam fuisset Anno 1720. editum, & nullibi solemniter promulgatum. Interim dum hac super re deliberatum, Cardinalis restauratis nonnihil viribus morbo se levare sensit, quo comperto Fleurius Cardinalis, qui jam die quinta Februarii Parisios ad Cleri comitia venerat, Noaillium invisebat, & salutatione data receptaque de Pontificis sanctitate, & benevolentia erga eum plura præmittebat, aptissimo rei seris præludio: Demum vero Apostolica libertate exorsus, „a primo momento, inquiebat, „quo edita est Constitutio, Eminentia „vestra Ecclesiæ multa intulit mala, „vel saltem ad eam turbandam refractarii abusi sunt ejus nomine & auctoritate, omnino ergo hæc damna sunt „reparanda:“ Plura loqui parantem inter-

interpellat Noaillius, *Quis horum, in-* Sæc. XVIII.
quiens, magis nocuit Ecclesie? vel illi, A. C. 1726.
qui defuncto Regi per Amelotum Bullæ ex-
plicationes petenti sese opposuere, vel qui
has explicationes, a Papa petierunt? cum
 ergo Fleurius rem ad verborum con-
 tentionem deflecti timeret, nil aliud
 reposuit, nisi Judicem esse in cælis, qui
 nos omnes judicaturus esset. Abrupto
 igitur sermone totum hoc negotium in
 salebris hæsit.

§. LV.

Contentio inter Prædicantes Augu-
stanos exorta.

Jam anno hujus sæculi vigesimo tertio Petræus
 Samuel Urlspergerus Herenbergæ Pa- Schriftmâßi-
 stor Stutgardix libellum edidit, quem ger Beweis.
 ita inscripsit *Sanitas infirmis, vita mori-* Joann.
bundis. Hic libellus primo non sine Waidner
 rudis plebeculæ applausu ceu opus ex- Schriftmâßige
 cellens ac unctiōe sacra plenum excipie- Untersuchung
 batur. Diversa tamen longe erat quo- M.S.
 rumdam Prædicantium opinio; cense- Schriftmâß-
 rant quippe, in hoc libro plura conti- figer Unters-
 neri, temeraria, erronea, & pericu- richt Urlsper-
 losa: Palmares vero errores detexisse ger. Unters-
 „arbitrabantur in eo, quod Urlspergerus richt von dem
 „pag. 767. num. 12. scriberet. I. Deum Zustand der
 „per suos Angelos hominibus in terris Seelen u.
 „hodie dum sæpius manifestare ea, quæ H. G. A. J.
 „in Hollberg
Hist. Eccl.
Part. IV.
pag. 402.

Sæc. XVIII. „in æternitate fierent, & per eosdem
 A. C. 1726. „Angelos pie defunctis in æternitate
 „indicare, quæ in his terris agerentur.
 „II. Pie defunctos orare pro vivis, &
 „sæpe juxta liberam Dei voluntatem
 „propinquis & amicis suis apparere,
 „eisque viciniore esse, quam nos scire
 „ac credere possemus. „ Hujus do-
 ctrinæ novitas plurimum offendit deli-
 catas Augustanorum Prædicantium au-
 res: querebantur enim, Lutheranzæ fi-
 dei puritatem in discrimen adduci,
 dogmata Catholicorum, etsi hucusque
 solide a Prædicantibus impugnata fuisset,
 rursus stabiliri, Augustanos Præ-
 dicantes irrisioni & Saxoniz Theolo-
 gorum, aliorumque, qui sectæ purita-
 tem jactitarent, ludibrio exponi, ac
 denique rudioribus opiniones a Catho-
 licorum principiis haud alienas sensim
 instillari. Unanimi ergo suffragio de-
 cernunt; nulla mora Gottfrido Lomero
 tum Seniori totam rei seriem esse ex-
 ponendam: Hunc igitur morbo deten-
 tum die nona Februarii præfati anni
 Joannes Weidner Pastor ad S. Udalri-
 cum, ceterorum nomine adit, atque
 ex præfato libro doctrinas magis peri-
 culosas recitat: Haud parum inde com-
 movetur Lomerus, qui ægerrime tulit,
 eadem dogmata, quæ ipse jam Anno
 1699. contra duos Jesuitas publico
 scri-

scripto impugnasset, ab Urlspergero S. Sæc. XVIII.
 Paginæ textibus, & plurium Prædi- A. C. 1726.
 cantium auctoritate firmari: mox igitur
 hanc causam in pleno Pastorum con-
 fessu altera die agitari præcipit: Præ-
 primis ibidem deliberatur, an novæ
 & erroneæ hæ opiniones in Lutherana
 Ecclesia sint tolerandæ, vel potius sine
 temporis dispendio res ad Magistra-
 tum ceu Ecclesiæ Augustanæ Episco-
 pum deferenda, eique supplicandum,
 ut opportunis remediis malo obviaret.
 Postremum id cunctis placuit Pastori-
 bus, Lomerus tamen censuit, consul-
 tius fore, si prius ipse datis ad Url-
 spergerum literis eundem ad palinodiam
 induceret: Expediuntur ergo Heren-
 bergam ejusmodi literæ, ad quas ta-
 men Urlspergerus nihil dedit respon-
 sum; quocirca Lomerus unacum Weid-
 nero die 21. Februarii Augustanæ Con-
 fessionis Duumvirum accessit, eidem-
 que perniciosas doctrinas in hoc libro
 contentas exposuit, qui eo majorem
 inde sensit dolorem, quo tardius, re-
 haud amplius integra, de periculo e-
 doctus fuisset; jam enim Anno 1722.
 die 16. Decembris ipse & ambo secre-
 toris Consilii Senatores Urlspergerum
 in Seniorem & Pastorem ad S. Annam
 elegerant: Nihilominus die 23. Feb-
 ruarii habita Consultatione Prædican-
 tibus

Sæc. XVIII
A. C. 1726.

tibus injunctum est, ut cuncta, quæ in dicto libro minus sana & orthodoxa deprehendissent, scriptotenus referrent, quin tamen hac de re publicos motus concitarent. Paruere Prædicantes, porrectoque hoc scripto declararunt, se Urlspergerum nec pro Pastore, minus vero pro Seniore habituros, nisi is prius suas opiniones solemniter revocaret. Interim Urlspergerus Herenbergæ Augustam die vigesima quarta ejusdem Mensis venit, cui illico scriptum tradebatur, in quo duodecim continebantur propositiones, quæ ex ejus libro decerptæ, velut minus orthodoxæ notatæ fuerant. Ad has ipse suam declarationem Duumviro & Consiliariis die 28. Febr. consignavit, quæ postmodum Prædicantibus Augustanis eo fine communicata est, ut exponerent, an hac declaratione contenti essent, & si fors ea non probaretur, deciderent, utrum propositiones ibidem contentas Sacris literis & Confessioni Augustanæ adversari existimarent. Re in deliberationem vocata, Prædicantes hac declaratione sibi minime satisfactum esse censebant, eoquod Urlspergerus, etsi in proxima libri sui editione doctrinam de statu animarum post mortem se omnino expuncturum pollicitus esset, nihilominus palam profiteretur, se

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

se nullius erroris aut doctrinæ S. Co-
dici contrariæ reum esse, proin revo-
cationem a se exigere non posse, aliunde
omnia, quæ scripsisset, ex S. literis,
celeberrimis Theologis, Brentio, Heil-
bronnero, Matthesio, Scrivero, & Vi-
nariensis Bibliæ Glossatoribus hausisse,
ejusque librum a Stutgardiensibus Theo-
logis fuisse approbatum, denique Ec-
clesiam Pontificiam, si hæ opiniones in
controversiam ducerentur, simul laces-
situm iri. Ergo hi Prædicantes, ne
aut ex inscitia aut ex malitia & sinistro
in Authorem affectu has opiniones im-
pugnasse viderentur, neve Catholici
suas doctrinas ab Augustanis Præconi-
bus adoptatas fuisse, jactitarent, altera
mox die in speciali Conventu hanc pri-
mam Urlspergeri declarationem unani-
mi suffragio rejecerunt, simulque, quan-
tum per temporis angustias licuit, ex-
penderunt, *quænam doctrinæ, & opinio-
nes 1. sine Dei Verbo 2. contra Verbum
Divinum, 3. contra libros Symbolicos,
4. adversus probatiorum Theologorum con-
sensum, falsæ, novæ, & in Augustana
Ecclesia haud tolerandæ & propter necessa-
rias sequelas periculosæ ibidem contineren-
tur.* Priusquam tamen res decidere-
tur, ex cujusdam Præconis consilio
die tertia Martii nonnulli Prædicantes
deputati fuere, qui de controversis
hisce

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

hisce articulis cum ipso Urlspergero agerent. Verum post acrem verborum contentionem nil aliud conclusum est, nisi ut hic ea omnia, quæ in sui defensionem conferre censeret, scriptotenus ad deliberandum Ministerio traderet: Inde igitur enata est altera Ejusdem declaratio die quarta Martii Prædicantibus consignata, quam tamen hi pariter in pluribus vitiosam esse autumabant, nihilominus cum Urlspergerus in ea fidem fecisset, quod deinceps easdem doctrinas, quas Augustani Præcones contra Catholicos defenderent, cum ipsis amplecti vellet, hinc eidem Weidnerus præcepit, ut *coram facie Ecclesie Augustanæ Evangelicæ* sine fuce declararet, utrum contra Catholicos ore & corde propugnaret, 1. Deum plerumque per suos Angelos hominibus non manifestare ea, quæ in terris geruntur, 2. defunctorum animas in cælis per Angelos non edoceri de statu eorum, qui in terris versarentur, 3. eas non apparere hominibus: Hæc se unicum Augustanis Prædicantibus contra Papatum strenue & serio propugnaturum spondit Urlspergerus, simulque professus est, sese, quicquid in suo libro periculosum foret, in proxima illius editione omissurum, interim vero vel in publica Concione, vel in libello typis eden-

edendo mentem suam circa controversos hosce articulos non sine Ministerii satisfactione expositurum. His contenti Prædicantes Urlspergerum ceu Pastorem ac Seniore[m] suum officiosa gratulatione honorabant, cunctisque ad acta relatis die duodecima Martii sigillatim subscripsere, addita hac clausula: *Mihi speciatim ac diserte integrum fore cupio, ut vi hujus scripti has vel alias ejusmodi novitates, quoties id necessarium vel utile censuero, serius aut citius, tacito tamen tum Auctoris tum libri nomine ex Dei Verbo debita severitate & Christiana moderatione castigandi & resellendi plenam habeam facultatem, sicut &, si forte Augustanum nostrum Ministerium redargueretur, perinde acsi controversas hasce quæstiones abs matura deliberatione, sine necessitate, ex imprudentia, sinistro affectu aut quacunque alia causa impugnaverimus, Ego, & Ministerium communi mecum consilio speciem facti de toto rei progressu ex Actis conficere, publicis typis edere, & universæ Ecclesiæ judicio subjicere valeam.*

§. LVI.

Eadem controversia acrius effervesces.

Hac igitur ratione Prædicantes quiescere, spem omnem in facta Urlspergeri

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII
A. C. 1726.

spergeri pollicitatione reponentes: Verum hic in proxima Concione de suo libro, ejusque erroribus nullam penitus fecit mentionem, sed duntaxat verbis admodum vagis declaravit, *se credere, semperque credidisse, quod Lutheri doctrina non novis revelationibus, inspirationibus, Angelorum, aliorumque apparitionibus, sed nonnisi infallibili scriptoque Dei Verbo V. & N. Testamenti innitatur.* Cum ergo hæc declaratio non obstaret, quo minus novæ ipsius opiniones profana doctrina haberentur, hinc Prædicantes die 4. Junii convocato suorum cœtu decrevere, Urlspergerum esse rursus monendum, ut promissi sui memor vel ea, quæ offensioni essent, e libro suo expungeret vel circa errores ibi contentos *sigillatim* mentem suam aperiret, hacque ratione obviaret motibus indies magis magisque invalescentibus, qui inde potissimum orirentur, quod ex Civibus non pauci hunc librum, quem Auctoris Clientes & Patroni ubique divulgassent, maximi haberent, & Catholici Lutheranis insultantes exprobrarent, quod Lomero valere jussu, Seniore suum Orthodoxe sentientem audirent: Ad hæc tamen Urlspergerus nil aliud reposuit, nisi quod ille, qui ceteris ferventius rem urgeret, ipsius ædes adiret, ejus declarationem ex-

ceptu-

cepturus. Tum vero contentio acrius, Sæc. XVIII. A. C. 1726.
 quam unquam efferbuit; quidamenim,
 tum adhuc incognitus, qui ficto no-
 mine sese *Georgium Lebrecht Petricum*
 vocabat, Anno 1725. libellum contra
 Urlspergeri doctrinas composuit, quem
 Isaias Schneider Diaconus ad S. Udal-
 ricum non Lipsiæ, sed Ulmæ typis im-
 primi curavit, ac præli expensas solvit.
 Hæc inaudiens Urlspergerus, mox in
 Concione quadam acrius adversus hunc
 Auctorem, ejusque libellum declama-
 bat, ac demum die 11. Julii tertiam
 suam declarationem, sub titulo *epistolæ*
ad celebrem Evangelicæ Ecclesiæ Theolo-
gum, typis edebat, in qua Petræi ob-
 jecta dissolvere, & suas opiniones par-
 tim excusare, partim defendere nite-
 batur. Hanc epistolam annuente Ma-
 gistratu A catholicico Joannes Weidnerus
 die 24. Septembris confutare has ob-
 causas statuit. I. Quia hujus Epistolæ
 Auctor falsas suas opiniones præcipue
 pag. 41. aut pertinaciter adhucdum de-
 fenderet, aut variis coloribus obtegere
 niteretur. II. Quia doctrina de appa-
 ritionibus secundo Schmalcaldici fœ-
 deris articulo adversaretur. III. Quia
 Majorum doctrinis juxta pacem Reli-
 giosam exactissime insistendum esset.
 IV. Quia motibus & dubiis ex Petræi
 scripto & Urlspergeri epistola enatis,
Hist. Eccles. Tom. LXXII. X ne

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

necessarium foret, ut Prædicantes de-
clararent, quid ipsi credant, vel non
credant. V. Quia Catholici in suo
hoc errore firmarentur, & Lutherani
ad deserendam fidem inducerentur.
VI. Quia Augustani non modo ab Url-
spergero, sed & ab exteris Prædicanti-
bus redarguerentur, quod opinionem
de apparationibus sine necessitate &
nonnisi ex invidia impugnassent. Enim-
vero paulopost Urlspergeri opinio-
nes quidam Anonymus H. G. A. I.
quem alii Gramlichium esse putant,
in sua instructione contra Petræum (si
Weidnero fides) *misere & jejune* pro-
pugnabat, mox autem anno hujus sæ-
culi vigesimo sexto alius quidam Url-
spergeri epistolam succincte resellebat.
Nondum finitum erat literarium hoc
bellum, cum alia oriretur contentio:
Innotuerat enim Urlspergero, quod
Isaias Schneider Diaconus ad S. Udal-
ricum Petræi librum typis edi curas-
set, unde de eo graviter questus, no-
væ liti ansam præbuit. Patrocinatur
ei Magistratus A catholicus, adesse ju-
betur Diaconus, de suo facinore ratio-
nem redditurus. Hic ergo rem, prout
erat ingenue fatetur, se tamen ad id
permotum fuisse declarat, quia ipsemet
ceū *Christianæ pietatis osor* fuisset pro-
clamatus, Urlspergerus vero promissi
sui

fui fidem non servasset, aliunde autem notum esset, quod hujus doctrinas Catholici in rem suam verterint, ipsiusque errores a rudioribus Lutheranis cum applausu excepti fuerint, Ita Schneiderus suum facinus prætexto Religionis fervore purgabat; Major adhuc sollicitudo urgebat Magistratum, ut per hunc Diaconum detegeretur, quis sub nomine Petræi lateret. Id vero cum ipse manifestare detrectaret, decreto Senatus die 23. Julii officio amovetur. Hic libellum supplicem Ratisbonam ad *Corpus*, ut vocant, *evangelicorum* misit, rogans, ut suas interponerent preces, eoque Augustanum Magistratum inducerent, ut muneri suo redditus de prodendo præfati libri Auctore haud amplius vexaretur. Ad hujus preces inclinati Protestantes, Augustanæ Confessionis Magistratui expendendum proponebant, an non potius conveniret, ut Auctori, si forte eum Schneiderus manifestaret, de plena securitate caveretur. vel si eum prodere renueret, utrum Schneiderus tamdiu officio non esset restituendus, donec exteræ Facultates Theologico-Juridicæ suum desuper judicium tulissent, interim vero ipse jurato profiteretur, quod Authoris nomen nullatenus suis Superioribus obsistendi animo

X 2

reflecat,

Sæc. XVIII:

A. C. 1726:

Sæc. XVIII. reticeat, sed potius eis, ac ipsi etiam
 A. C. 1726. Urlspergero ceu suo legitimo Se-
 niori ac Præposito debitam subjectionem
 præstare paratus sit, & deinceps de
 hac lite tam in scriptis, quam in collo-
 quiis ac Concionibus nulla omnino fie-
 ret mentio: Ad has vero quæstiones
 Magistratus A catholicus die 25. Augusti
 respondit, ab inquirendo, & puniendo
 Auctore desisti non posse; agi enim de
 honore ipsius Magistratus Lutherani,
 & de Urlspergeri fama per Petræi scri-
 ptum graviter læsa, Schneiderum vero
 in suo libello supplici falsa narrasse, &
 vera dolose reticuisse, ac insuper Magi-
 stratum confictis calumniis laceffivisse;
 id porro constare ex vera relatione eo
 fine acclusa. Hæc ubi resciverat Schnei-
 derus, pejora veritus, supplicem libel-
 lum Magistratui obtulit, in quo ad pri-
 stinum gradum reduci, perdemisse ro-
 gavit, ac semetipsum Petræanæ luctu-
 brationis auctorem esse ingenue fassus
 est. Comperto demum Auctore Ma-
 gistratus Schneidero præcepit, ut in
 proximo Ministerii Conventu erroris sui
 veniam peteret, ac deinceps majorem
 suis Superioribus reverentiam exhibe-
 ret, secus muneris sui executione in
 perpetuum interdicendum esse. Nimis
 dura Schneidero videbatur hæc senten-
 tia, quapropter doctrinis in suo libro
 expo-

expositis firmiter insistens, suos Pa- Sæc. XVIII.
 rochianos tam arcte sibi conjunxerat, A. C. 1726.
 ut una omnes pro eo deprecatorum par-
 tes agerent. Ea res vix non ad sedi-
 tionem spectare videbatur, hinc Ma-
 gistratus totam facti seriem exacte con-
 scriptam unacum actis publicis ad Ju-
 risticam Facultatem quamdam trans-
 misit, illius iudicium præstolaturus.
 Hæc cunctis maturius ponderatis,
 Mense Novembri decidit, Magistratum
 quidem recte, atque ex juris præscripto
 egisse, Diaconum tamen nondum offi-
 cio amovendum, sed potius compel-
 lendum, ut agnito errore veniam pre-
 caretur, secus omnino exauctorandum
 esse, si vel Magistratui vel Seniori labem
 imponeret. Significatur hæc sententia
 Diacono, eique ad deliberandum con-
 ceditur octidui spatium, quo evoluto
 is propositam deprecationis formulam
 suo munivit chirographo, eamque hoc
 Anno die 10. Decembris Magistratui
 tradidit, ac propterea die duodecima
 ejusdem Mensis suo officio fungi per-
 missus est.

Finita hac lite Weidnerus Pastor
 novam exorsus est; cum enim inaudi-
 ret, Urlspergeri epistolam prælo pro-
 xime esse subjiciendam, porrecto li-
 bello supplici declarabat, sese, nisi Ma-
 gistratus auctoritate hujus scripti publi-
 catio

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

catio iniberetur, Theologicam suam, quam contra illud elucubrasset, confutationem pervulgaturum. Ad hæc reposuit Magistratus, id ei integrum fore, dummodo legitima accederet Censorum approbatio. Igitur Weidnerus suam lucubrationem Censoribus offert, denegatur tamen typi facultas. Hæc repulsæ vel maxime commovit virum quemdam non minus Nobilitate quam potentia conspicuum, qui Urlspergero significari iussit, se suis expensis Weidneri opus prælo subjecturum, curaturumque, ut id in urbe passim divulgaretur, nisi ipse promissi sui fidem de revocandis erroribus quamprimum exsolverit. His minis territus Senior, per Lomerum Prædicantibus pollicebatur, se expunctis iis, quæ in controversiam deducta fuissent, mox ad aliorum Prædicantium objecta denuo responsurum, atque in præfatione declaraturum, in suo libro *quædam minoris momenti*, quæ a Ministerio carperentur, fuisse notata, ea tamen in proxima libri sui editione fore delenda: Cum autem in hac ipsa declaratione offensionem essent hæc verba: *minoris momenti*, etiam ea Urlspergerus expunxit, sicque hæc controversia, quam infallibilis Judicis sententia dirimere non potuit, partim Magistratus auctoritate, par-

partim aduersantium conniuentia sopita Sæc. XVIII.
 est, & ipse Weidnerus, etsi Urlsper- A. C. 1726.
 geri doctrinas argumentis apud Prote-
 stantes solidissimis confutarit, & suam
 lucubrationem S. Augustini (*) Verbis
 concluderit, illam tamen typis vulgare
 permissus non est. Porro id præpri-
 mis observandum occurrit, quod hi
 Protestantes easdem omnino doctrinas
 ex S. Literis, ex S. Patribus, & ex
 Confessionis Augustanæ Theologis, una
 comprobarint, & simul impugnarint,
 quid ergo aliud inde concludi poterit,
 nisi quod ad decidendas ejusmodi con-
 troversias, quæ tamen ad orthodoxiam
 spectare censentur, nec S. Literæ, nec
 suorum auctoritates Regula certa, &
 tuta ac sufficiens sit, & fuerit, proin
 alia, & hæc *infallibilis* sit inquirenda.

X 4

§. LVII.

(*) Hanc Weidneri lucubrationem ad ma-
 nus habeo, in cuius fine adducuntur hæc
 S. Augustini verba: *Non dicat, ideo verum
 est, quia ille vel illa tale visum vel vigilans vi-
 dit, vel dormiens somniavit. Removeantur ista
 vel figmenta mendacium hominum, vel portenta
 fallacium Spirituum.* Ep. contra Donat. vulgo
 de unitate Ecclesiæ cap. 19. Tom. 10. op.
 pag. 252.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. LVII.

*Mediolanensis Conventio in Helvetia
a Catholicis innovata.*

Jam anno ab incarnatione Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono, die tertia Septembris, Governatore Leganesio Marchione, fædus Mediolani inter Philippum IV. Hispaniæ Regem, & tres Rhetiæ Comitatus, Wormium, Vallem Tellinam, & Clavennam erectum est: Hi enim tres Comitatus olim Mediolanensis Ducatus pars erant, postea vero annuente Francisco I. Galliarum Rege a Maximiliano Sfortia Duce Grisonibus relictæ sunt. Postquam vero hic Ducatus ad Imperatorem devolutus erat, Hic idem fædus illud, quod *inviolabile & hæreditarium* dicebatur, cum iisdem Grisonibus innovabat. Inter alios hujus pacti articulos præprimis sancitum erat, I. ut Vallem Tellinam, Wormium & Clavennam soli incolant Catholici, solaque hæc Religio ibidem vigeat, exclusis omnibus aliis sectis. II. Ut nulla lex aut statutum Religioni Catholicæ aut Ecclesiasticæ libertati contrarium invehatur. III. Ut nulli Acatholico domus aut habitaculum concedatur, sique hi ob negotia eo contendere coguntur, ter quotannis venire

venire permittantur, ita tamen, ut Sæc. XVIII.
 secum nullum Prædicantem conducant, A. C. 1726.

nec ullum sectæ suæ exercitium per-
 agant &c. Jam tum quidem Acathe-
 lici Grifones his pactis obstrepebant,
 nihilominus tamen hoc fædus, quod
Mediolanense Capitulare vocatur, solemni
 juramento utrinque firmatum est: Pau-
 lopost Zwingliani nil intentatum, in-
 ausumque reliquere, ut illud, ni inte-
 grum aboleri, saltem, in quantum Ca-
 tholicis faveret, immutari obtinerent.
 Ast Catholicorum constantia effectum
 est, ut idem fædus Anno 1705. inno-
 varetur, & articulus de Religione Ca-
 tholica insertus permaneret: Unde ac-
 cidit, ut quater mille Calvinistæ, qui
 vi irreperant, excedere juberentur,
 quamvis postea suorum potentia freti
 rursus irrumperent: Ut vero suam per-
 fidiam non minus ac violentiam colo-
 rant, obtendebant, Mediolanense Ca-
 pitulare non tam ad propriam defen-
 sionem, quam ad vim aliis inferendam,
 contra Acathelicos esse erectum, hos-
 que tres Comitatus armorum societa-
 tem cum Cæsare iniisse, eo fine, ut,
 quotiescunque e re foret, Grifones
 Acathelicos hostiliter invadere possent.
 Falso igitur hoc prætextu animati, in
 ipsam quoque Grifoniam, post firmatam
 etiam pacem violenter involant, Epi-

Sæc. XVIII.
A.C. 1726.

scopo Curiensi & Catholicis se acriter, incassum tamen, opponentibus. Inde vero augebatur Calvinistarum temeritas; cum enim pauci Mercatores Catholici Suburbium Curiense incolerent, A catholicus Urbis Magistratus tamdiu obstitit, donec inde expellerentur. Inhumana hæc vexatio haud parum valebat, ut Catholici Deputati numero octodecim Mediolanum contenderent, ac ibidem pristinum fædus seu *Mediolanensem Capitulationem* innovari, enixius postularent. Postea alii trium Comitatum Deputati Curixæ conveniunt, Calvinistarum querelas & postulata excipiunt, remque cum Wensero Oratore Cæsareo æquitatis trutina examinant. Tandem vero Mediolani die 24. Octobris Anno 1726. fædus quoad omnes articulos innovatum, ac juramento & chirographo in favorem Catholicorum firmatum est; vicissim quoque Imperator spondit, ut deinceps *duodecim* trium Comitatum adolescentes, qui Mediolani vel Ticini studiis vacarent, alere velit, cum tamen antea Hispaniæ Reges nonnisi sex ejusmodi studiosis hanc gratiam fecissent. Stabilito hoc fædere Deputati Illantium convenerunt, ac die decima quarta Novembris ad omnes Telinæ, Wormii & Clavennæ Rectores literas dedere, quibus injunctum,

ctum, ut singulis A catholicis significa-
 rent, fædus unanimi consensu esse in-
 novatum, proin e civitatibus, in quas
 vi irrepsissent, protinus excederent. Hi
 vero opponebant, iniquum esse, ut plus-
 quam quadringenti, qui per plures an-
 nos sedem firmam in his Comitatus
 fixissent, eorumque Majores jam An-
 no 1639. tolerati fuissent, emigrare ju-
 berentur, Catholicis vero, & quidem
 exteris remanendi facultas daretur: Ad
 hæc Catholici, ut humanitate Chri-
 stiana Calvinianam duritiem vincerent,
 A catholicis indulgere, ut usque ad
 Mensem Septembrem anni sequentis
 remanere possent. Nihilominus Cal-
 viniani Indigenæ apud suos Magistra-
 tus Mense Aprili querebantur, quod e
 ditionibus, quas tamen eorum Majo-
 res profuso sanguine occupassent, exu-
 lare cogerentur, & quidem sine culpa,
 & non ex alia causa nisi religionis odio,
 se quidem Capitulationem exequi, pa-
 ratos esse, petere tamen, ut in pro-
 ximo congressu eis indulgeretur. I. Ut
 omnia in eum, quo Anno 1639. erant,
 statum reponerentur, proin Monasteria
 & Beneficia Ecclesiastica Telinæ &
 alibi interim erecta abolerentur. II. Ut
 juxta patrias leges, quæ sane huic Ca-
 pitulationi prævalerent, omnes Reli-
 giosi potissimam partem advenæ, &
 in

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

Sæc. XVIII. in contemptum Rheticæ libertatis in-
 A. C. 1726. trusi ejicerentur, priusquam Calvinistæ
 e propriis suis terris abirent. III, Ut
 his prius adimpletis conditionibus Cal-
 vinistarum bona non Ecclesiasticis sed
 Laicis venderentur. Rursus Mense
 Junio caussati sunt, nonnulla, quæ
 Mediolani fuissent promissa, necdum
 esse adimpleta: Cum ergo Catholici
 probe cognoscerent, quod Calvinistæ
 variis obtentibus studiose quæsitis pacti
 executionem præpedire molirentur,
 Wenferus Imperatoris Legatus totus
 in eo erat, ut Mediolanense sædus
 illico executioni daretur. Postquam
 vero hic idem Orator a Cæsare ex Gri-
 sonia evocatus fuerat, hujus absentia
 ad moras necendas Calvinistis perop-
 portuna accidit: Adventante autem
 Barone de Risensfels, qui Wenfero suc-
 cesserat, die tertia Januarii Anni 1728,
 Curix Conventus habitus est, in quo
 hujus sæderis executio summo studio
 urgebatur. Ibidem Calvinistæ emigra-
 tionis terminum ad semestre extendi
 petebant, annexa hac conditione, ut
 indigenæ in patriam reverti permitte-
 rentur, si forte Cæsarea sua Majestas
 intra hunc terminum promissis non ste-
 terit. Attamen insuper habitis hisce
 cavillis Risensfelsius serio postulavit, ut
 nulla mora sæderis articuli exacte ad-
 im-

implerentur. Ergo Deputati Curiae ^{Sæc. XVIII.}
 adhuc congregati ad omnes Comita- ^{A C 1726.}
 tuum Rectores die 26. Februarii per-
 scribunt, ut cunctis Calvinistis sibi sub-
 jectis significarent, quatenus vi Capi-
 tularis unaomnes intra trimestre e præ-
 fatis Comitatus excederent, indicta
 in refractarios proscriptionis bonorum
 poena: Vicissim vero Legatus sequenti
 die omnia, quæ a Cæsare promissa e-
 rant, exacte adimplevit. Ita demum
 omnes Calvinistæ e Valle Telina pri-
 mum ejecti sunt, operam suam egregie
 jungente Episcopo Comensi, ad cujus
 Diæcesin hi tres Comitatus pertinent.

§. LVIII.

*Alia turbæ a Calvinianis Helvetis
 suscitatae.*

Adhucdum horum Comitatum De-
 putati Curiae Conventus habebant,
 cum hujus Urbis Episcopus ad eosdem
 literas mitteret, in quibus exponebat,
 quod ipse quidem unacum Nuntio Apo-
 stolico Ecclesiam, Ttunsi in Comitatu
 Orthensteinensi sitam, & solis Catho-
 licis propriam repetiisset, eoquod illam
 Calvinistæ vi eis eripuissent: Hi vero
 tam æquæ petitioni adeo non detule-
 rint, ut etiam novis indies violentiis
 Catholicos vexarent; ac novissime in
 ea-

Sæc. XVIII
A. C. 1726

eadem Ecclesia Aram & Christi Do-
mini ac B. Virginis aliorumque Sancto-
rum imagines confregerint, sacras ve-
stes & vasa profanarint, Cruces in cæ-
meterio erectas everterint; ac demum
totam Ecclesiam sibi solis vendicarint.
Sacilegas igitur ejusmodi violentias
publicæ quieti adeo contrarias Episco-
pus promeritis pœnis castigari, & dam-
na resarciri postulabat, addens, a tem-
pore hominum memoriam excedente
nullum ex Calvinistis Trunsi fuisse to-
leratum, & Anno 1670. vi pacis inter
hos & Catholicos initæ in Tumiliensis
Parochiæ districtu omnè jus Ecclesia-
sticum quoad exequias Calvinistis ad-
emptum, & Prædicantibus quemvis
accessum ad cæmeteria, & Baptismi,
ac matrimonii administrationem inter-
dictam fuisse &c. Ad has querelas
reponebant Calvinistarum Deputati,
hæc ab Episcopo exposita sibi potissimam
partem esse incognita, se tamen pe-
tere Viros a partium studio alienos,
qui in facti veritatem inquirerent, de
cetero Catholicos Trunsenses tunc in
hæc consensisse, dum ipsis præfatæ
Ecclesiæ possessio hucusque controversa
Anno 1715. fuisset asserta: Tam fri-
vola excusatione haud contenti erant
Catholici; quocirca speciali Conventu
apud *Augiam divitem* habito conclusere,
se

se non modo Capitulationi Mediolanensi firmiter inhæsurus, sed postulaturos quoque, ut commune ærarium æqua parte divideretur, & præ ceteris Trunfensis Ecclesia Catholicis pleno jure restitueretur. Tandem vero Catholici in Dævosiensi Conventu Anno 1725. proponebant, ut Calvinistis quidem ad hanc Ecclesiam accessus indulgeretur, nullus tamen Pastor Trunfii habitaret, sed ad sectæ suæ exercitia vicinior accederet, vicissim vero Catholicus Pastor, cujus Zelum A Catholicis maxime accusabant, cum alio commutaretur. Hujus tamen litis decisio popularibus comitiis relicta fuit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. LIX.

Joannis Baptistæ Ptolomæi Cardinalis obitus.

Ineunte hoc anno Joannes Baptista Ptolomæus postremum vitæ suæ diem clausit. Hic die tertia Decembris Anno 1653. in Gamberaiæ Florentini Ducatus oppido primam lucem aspexit. Pater ei fuit Jacobus Magnæ Ducissæ Auditor, Mater vero Maria de Paulicciensis: Ab incunabulis pietatem, sciendique ardorem spirabat; neglectis enim, quibus puerilis ætas delectari solet, crepundiis in privata pa-

Sæc. XVIII. paternæ domus Bibliotheca otium
 A. C. 1726. ducebat suum, reliquas diei horas pre-
 cibus, & literis consecrans. Nondum
 exacto duodecimo ætatis anno, jam-
 jam Florentiæ arti Rhetoricæ operam
 dabat, Præceptore usus Jesuita Vin-
 centio Glaria. Incefferat ipsius ani-
 mum Societatem profitendi desiderium,
 invito Parente, qui illum ea de causa
 primo Pisas, ac dein Romam misit,
 eumque addixit Collegio Clementino
 sub cura Patrum Congregationis de
 Somaſca. Inſtitutorem ibi habuit Joan-
 nes P. Julium Corradum Virum longe
 celeberrimum, sub cujus magisterio
 tam egregie profecit, ut Philoſophicis
 theſibus, quas præſentibus Barberino
 & Roſpiglioſo Cardinalibus publice
 propugnauerat, præclarum acutiſſimi
 ingenii ſpecimen ederet. Inde vero
 Patris ſui juffu Pisas revocatus, ut
 Theologiæ ac Jurisprudentiæ animum
 adjiceret, mortuo autem pauloſt Pa-
 tre ſuo Romam rediit, ibique vigefimo
 primo ætatis anno ſeſe Societati ad-
 dixit. Adimpleto, quod diu jam ſibi
 deliberatum erat, voto, nihil eorum
 prætermiſit Ptolomæus, quæ ad ſui
 perfectionem & communem aliorum
 utilitatem pertinere exiſtimaret: Præ-
 primis igitur addiſcendis linguis Græ-
 cis, hebraicis & Caldaicis animum
 appel-

appellit, easque primum Ragusii, dein Romæ tradit, ubi etiam celeberrimus Rhetorices Professor erat. Deprædicabant ejus eloquentiam non modo Ragusini, sed & Romani, apud quos sæpius perorabat, audientium animis in admiratione defixis. In hac quidem exercitatione, cum nec se, nec aliorum applausum, sed, quod caput est, animarum salutem quæreret, assidue S. Literarum, Patrum. & Conciliorum studio incubuit, indeque sanioris doctrinæ præcepta, quæ uberius hausit, non sine magno animarum proventu aliis liberaliter propinavit. Annum agebat ætatis trigesimum primum, cum Sacris initiaretur, quo quidem munere, ut se digniorem humilitatis studio redderet, Grammaticam in Scholis, & Catechismum pueros ac rudes in compitis docebat. Quarto post anno propter egregiam prudentiæ famam ad Procuratoris Generalis munus admovebatur, quo non sine nominis sui laude defunctus, etiam Philosophiæ in Collegio Romano tradendæ præficitur, quam prout Discipulis dictaverat, typis edidit, & quamvis (ut ea tempora erant) Aristotelicis dumetis horrida videretur, sæpius tamen reculam a vide excepere præsertim Germani, quos inter Leibnitius & Scriptores actorum

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Ep. Relat.
in Diar. Lit.
t. 38. p. 35.
Act. Erud.
Lips. Aug.
Anno 1698.
pag. 367.

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

Y

Li.

pag. 367.

Sæc. XVIII
A. C. 1726

Lipsiensium eruditorum illam commendare haud dubitarunt. Ex hisce naturæ penetralibus ad Polemica gradum fecit Ptolomæus, ut pravis, & a Religione Majorum alienis opinionibus, errorumque laqueis irretitos, deceptosque ad saniora reduceret. Eo sine quicquid ab hæterodoxis nostro hoc ævo aut prave excogitatum, aut falso traditum noverat, diligentissime conquirit, ac solide prorsus confutavit: Polemicas hæc quæstiones decem omnino annis publice pertractans, integros sæpe dies in S. Paginæ & Patrum lectione insumpsit; ne tamen assiduo literarum studio, semetipsum neglexisse videretur, maximam pietatis curam adjunxit, & singulis diebus summo mane unam horam piis meditationibus dicavit. Postea Hebraicum idioma Romæ professus, Bibliothecæ, & Kircheriani Musæi curam in se suscepit, illudque quamplurimis Mathematicis instrumentis, antiquitatisque monumentis mirifice auxit. Hæc, tantæ agebat, cum a suis unanimi suffragio in Romani Collegii Rectorem eligeretur, qui tamen diu tergiversatus tandem Superiorum cessit imperio. Tum vero omnes socios ad pietatem verbo minus, quam exemplo hortabatur, & licet tot variis curis distraheretur,

retur, singulorum tamen officiis & moribus fere solus prospiciebat. Hoc munere defunctus, a summo Pontifice Consultor variarum Congregationum dicitur, ac tandem in Sacrum Purpuratorum cætum cooptatur, de sui electione certior factus eo ipso tempore, quo publicæ disputationi in Collegio Germano - Hungarico intererat: Accurrunt quidem illico gratulantium agmina, applaudunt omnes, ipse tamen solus summa mæstitia affectus aufugit, ac sese cubiculo ita inclusit, ut ea die nemini alloqui copiam concederet. Altera die gravissimis literis Papam perimpense obtestabatur, ut collatum honorem ab eo amoliretur, societatis rationem duceret, persuasumque sibi haberet, quod longe utiliorem Ecclesiæ Dei operam privatus, quam publica dignitate illustris navare posset. Verum Pontifex, ne per modestam Viri repugnantiam Sacro Collegio insignis decus eriperetur, illum imperii religione deterruit. Ptolomæus igitur petitis ex Christi schola rationibus Purpuram induit, quia induere jubebatur. Nil tamen propterea a consueta vivendi ratione remisit, duobus cubi- culis contentus, in quibus splendidior erat apparatus, lectulus & librorum scrinia. Conduxerat quidem Pala-
 Y 2 tium,

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

Sæc. XVIII
A. C. 1726.

tium, non suo, sed Domesticorum com- modo, ubi unicum cubile sibi reservabat, in quo juvenes Clerici singulis septimanis convenire, & de controversiis in S Concilii Congregatione agitatis deliberare, suasque desuper sententias proferre possent, ipso Cardinale semper præsentate, & literatum hunc confessum moderante. Quatuordecim fere per annos nunquam solatii, aut relaxandi animi gratia domo prodiit: assiduus tamen adstitit illis Patrum cætibus, quibus adscriptus erat, ubi non modo profundissimæ eruditionis, sed immoti præcipue Zeli erga hæreticos & Jansenistas specimina edidit. Bis interfuit S. Comitii, in quibus nonnullorum Cardinalium suffragia in eum collimabant, sed ipse non de se, sed unice de digno Ecclesiæ Capite sollicitus haud parum contulit. ut Cardinalis Ursinus ad D. Petri Cathedram promoveretur, qui etiam Ptolomæum tanti habuit, ut illum prima nocte in Vaticano detineret, in gravissimo animi sui mæore Consolatorem gratissimum. Hæc tamen Pontificis benevolentia in Ptolomæi animo haud adeo prævalere poterat, ut ea, quæ Apostolicis juribus contraria censeret, abjecto adulandi studio dissimularet, quin etiam semel Evangelica libertate Pontifici exprobraret,

ret, quod multa sine Cardinalium con-
 filio decideret, cui tamen Benedictus
 non nihil commotior respondit, iis, a
 quibus missus esset, significaret, Car-
 dinalium munus esse, ut Pontificibus
 vel in gravibus negotiis, vel ab eo con-
 sulti assisterent, non autem ut illos eo
 adigerent, ut etiam in rebus manife-
 stis, & sine omni controversia certis
 eorum sententias rogarent. Paulopost
 alia, levissima tamen ex causa cum
 eodem Papa collidebatur; in ea enim
 erat persuasione, quod Jesuitarum sen-
 tentia de gratia rejecta fuisset per il-
 lud Breve, quod Benedictus XIII. in
 favorem Dominicanorum ediderat: quo
 tamen animadverso Pontifex respondit,
 hac in causa tutissimum esse, obtem-
 perare ei, quem invitum querulantes
 ad supremum Apostolatam evexissent.
 Fractus tandem Cardinalis gravi senio,
 assiduis, magnisque laboribus & studiis
 Anno 1725. in periculosum incidit mor-
 bum, quem stranguriam vocant. Re-
 creatus quidem meliuscule habere cæ-
 perat, at paulopost iterum vis morbi
 gravior tamque pertinax invaluit, ut
 omnibus remediis incassum adhibitis
 de ejus salute conclamatum esset. Die
 igitur die decima quinta Januarii a
 P. Gallutio, qui ejus conscientiam mo-
 derabatur, de vicina morte certior

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

Y 3

factus,

Sæc. XVIII. factus, hoc nuntio mirifice lætabatur, **A. C. 1726.** moxque confessione peracta, ac Divino epulo munitus, animo supra morientis fidem & morem intrepido quietus postremam vitæ horam præstolabatur. Adventantem ad se Benedictum XIII. perdemisse rogabat, ne morti proximum Pontificia Majestate ac splendore perturbaret. Ita demum die decima nona ejusdem Mensis animam Auctori, a quo conditam acceperat, placide transmisit: cum annos vitæ numeraret septuaginta duos, Cardinalatus vero quatuordecim.

§. LX.

De ejusdem lucubrationibus posteritati relictis.

Inter præcipua, quæ Ptolomæus posteris reliquit monumenta recensentur. I. ejus *Philosophia mentis & sensuum secundum utramque Aristotelis methodum pertractata metaphysice & empirice*, quæ primo Romæ, postmodum Augustæ & Dilingæ plurimum aucta prodiit. II. *Conclusiones Polemico-Dogmaticæ de Christo*. III. *Vindiciæ & annotationes in Bellarmini controversias*, quæ nondum publicam lucem aspexere ob Cenforum difficultatem. IV. Scripsit etiam celebre opus, in quo juxta

tex-

textum Originarium plurimos, eosque Sæc. XVIII.
 difficillimos S. Paginæ textus dilucida- A. C. 1726.
 vit. Extant insuper quædam Synopses
 Historiæ universalis profanæ & Sacræ,
 dogmata ex Conciliis collecta, & flo-
 rilegia ex S. Patribus Græcis ac lati-
 nis præter compendium Commentarii
 Theologici Patris de Valentia & ex-
 cerpta quædam ex recentioribus Theo-
 logis & veteribus Poetis, quæ omnia
 nondum edita Patri Joanni Philippo
 Ptolomæo fuere consignata. Denique
 typis vulgavit Anconæ orationem,
 quam in funere Nicolai Bona Ragusii
 habuit.

§. LXI.

*Laurentii Flisci Cardinalis de-
cessus.*

Laurentio, cujus obitum hoc anno luxe-
 rat Roma, natale solum erat. Genua-
 Parentes habuit de illustrissima sane
 familia, Patrem Innocentium Co-
 mitem de Lavania, Matrem Mariam
 Joannam de Carmagnola, claram genere
 nomineque fæminam, nec suarum vir-
 tutum præstantia Marito imparem.
 Horum summa cura educatus, una-
 cum lacte ea virtutis semina imbibit,
 quæ in omne tempus animo adhæ-
 sere. Decimum ætatis annum agebat,

Y 4

cum

Sæc. XVIII. cum Parmam missus, in Seminario
 A. C. 1726. Nobilium liberalibus disciplinis imbue-
 retur: inde Bononiam profectus in
 Flischorum Collegio, quod familiæ e-
 jus Gentilitium est, sua studia insigni
 cum laude prosequeretur. Romam
 dein accitus a Jacobo Franonio, cui
 arcto affinitatis vinculo junctus erat,
 Præfulum Romanorum Collegio adscri-
 bitur, ubi mores candidos, suaves &
 sine fastu graves præfererebat, sicque
 fiebat, ut carus cunctis, quibus uteba-
 tur, acceptusque esset, ipsiusque Pon-
 tificis admirationem in se raperet, a
 quo etiam juvenis adhuc Urbinatis Le-
 gationi, regendisque variis subinde
 ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus ad-
 movebatur: quo in munere, cum vi-
 ginti omnino annos exegisset, ab In-
 nocentio XI. Romam revocatus, Se-
 cretarius Congregationi Rituum datus
 est. Mortuo hoc Pontifice Laurentius
 brevi palæstram nanciscebatur, in qua
 insignis ejus virtus ad perfectionis ideam
 probe efformari posset; quippe ab Ale-
 xandro VIII. Nuntius Pontificius Vien-
 nam ablegatur: ubi Leopoldo Impera-
 tori ejus agendi ratio ita probata erat,
 ut eo Ministro Sacræ Sedis negotia
 feliciter absolverentur, applaudente
 ipso summo Pontifice, a quo in rei bene-
 gestæ præmium Avenionensis Pro-Le-
 gatus,

gatus, & paulo post ejusdem Urbis Archiepiscopus nominabatur. Postquam plures per annos hanc Ecclesiam verbo & exemplo optime rexerat, a Clemente XI. ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem Nuntius extra ordinem Apostolicus decernitur, ut Catholicos Principes immani inter se bello scissos ad concordiam reduceret. Hoc negotio, quantum licuit, prospere acto ex Archiepiscopatu Avenionensi ad Genuensem transferebatur, paulo post Romana Purpura decoratus. Igitur Roma valere jussa Genuam contendit, ubi tamen brevi cum Senatu collidebatur, eo quod Pontificis jussu excommunicationis sententiam in Thomam Granelum FF. Minorum de Observantia Provinciale[m] vibratam promulgasset. Re tamen composita per viginti adhuc annos Ecclesiam suam pie ac laudabiliter rexit, tandem vero tot auctus meritis, titulisque honoratus die prima Maij moralitatem exiit, anno ætatis suæ octogesimo secundo.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. LXII.

*Fabritius Paulutius Cardinalis
mortuus.*

Tertium inter Cardinales hoc anno defunctos locum tenet Fabritius

Y 5

Pau-

Sæc. XVIII. Paulutius, patria Foroliviensis. Natus
 A. C. 1726. erat die tertia Aprilis Anno 1651. il-
 lustribus omnino Parentibus, Cosmo
 Comite de Calbulo, & Lucretia Mer-
 linia Marchionis Filia. Ut primum ex
 ephebis excessit, Romam mittitur, sub
 Cardinalis Paulutii Propatru sui disci-
 plina educandus: Ibidem eloquentiæ,
 Philosophiæ, Theologiæ, Jurispruden-
 tiæ, ac Matheseos disciplinis probe in-
 stitutus, ceteros ingenii præstantia longe
 antecelluit: Annum agebat ætatis vi-
 gesimum quartum, cum Sacris initia-
 tus, promovente eodem Cardinale, Ab-
 batia Montis Sarchii augetur: Ea
 tamen dignitas Fabritio calcar subdidit,
 ut profundæ suæ eruditionis, pietatis-
 que luculenta specimina omni data oc-
 casione exhiberet, palamque faceret,
 velle se, ad altiora eniti non fortune
 auxilio, sed meritorum cumulo; unde
 etiam ab Innocentio XI. æquissimo vir-
 tutis arbitro primo ad Maceratensem
 Episcopatum evehitur, postea ab In-
 nocentio XII. Nuntius Apostolicus Co-
 loniam Agripinam ablegatus, inde de-
 mum in Poloniam evocatur, ut se hæ-
 reticorum machinationibus murum pro
 Domo Dei objiceret, & Radzieow-
 ckium Gnesnensem Archiepiscopum
 Palatinis Regni post diuturna dissidia
 conciliaret. Redux factus Ferrarien-
 sem

sem Episcopatum ac denique Romanam
 Purpuram Vir meritissimus obtinuit: Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.
 Neque hic virtutis præmium substitit;
 cum enim summa oris, morumque co-
 mitate præstaret, maximorum Princi-
 pum benevolentiam favoremque sibi
 comparabat; Cosmus enim magnus
 Etruriæ Dux Macerati, & Petrus I.
 Russiæ Imperator Vienna reversus,
 Ravæ in Polonia Fabritium convivam
 esse voluit, tanta cum illo usus fami-
 liaritate, ut eidem auream prixidem
 gemmis distinctam donaret; vicissim
 vero Fabritius gratum animum verbis
 testificando impar, torquem aureum
 unacum Cruce pretiosa ex eo pendula
 Imperatoris collo imponeret, unice
 supplicans, ut Imperator Viris Aposto-
 licis in Indias profecturis liberam per
 suas ditiones transitum concederet:
 Postmodum Romam e Polonia rediens,
 Viennæ pertransiit, ubi plura cum Cæ-
 sare Leopoldo arcana sibi commissa
 communicabat. His ita gestis Ferrar-
 iam contendit, ibique omnes vigilan-
 tissimi Pastoris partes sedulo explevit.
 Clemente autem undecimo ad D. Petri
 Cathedram assumpto Fabritius dimisso
 Episcopatu Romam reversus est, eo-
 quod a novo Papa in Pontificii sta-
 tus Secretarium assumptus, & pri-
 mus in Apostolatu Administer electus
 fuit

Sæc. XVII. fuisset. Attamen proprio mox experi-
 A. C. 1726. mento edocetur, quam salebrosum esset
 hoc officii genus; fervente enim bello
 Cæsarem inter & Franciæ Regem Paul-
 lutius in suspicionem collusionis cum
 Gallis venerat; Crescebat autem sinistra
 hæc opinio, non modo ex frequenti
 Paulutii colloquio cum Estræo, & Jan-
 sonio Gallis Cardinalibus, sed vel ma-
 xime ex eo, quod Marchio Paulutius
 Pontificii exercitus Imperator Cæsa-
 reos astu ex suis castris ad Padum po-
 sitis eiecerit, ac Ferrariam usque re-
 presserit. Ea res Leopoldum Cæsarem
 tantopere offendit, ut Paulutium Car-
 dinalem rupta omni mora Ministerio
 amoveri peteret, quamvis Pontifex Ad-
 ministri sui honorem armis vindicare
 statueret. Fortuna demum Pontificis
 adversante Paulutius nomine Sedis Apo-
 stolicæ, pacis articulos cum Cæsaris Mi-
 nistro Marchione de Prie concubia, nocte
 firmavit. Discussis hisce dissensionum
 nebulis Romam regressus, summi Pœ-
 nitentarii munere augebatur, ad plu-
 res dein Purpuratorum cætus assum-
 ptus, ubique in dicendo gravis, in ju-
 dicando subtilis, & in persuadendo ef-
 ficax audientium animos, quo vellet,
 facile rapiebat, in hoc plane felicissi-
 mus, quod nihil haberet, quo senectutem
 suam, emenso per summas virtu-
 tes

tes vitæ curriculo incusaret. Annum Sæc. XVIII.
 agebat ætatis septuagesimum, cum A. C. 1726.
 Clemens XI. vita excederet: Unde dif-
 ficillimo supremi Ministerii officio libera-
 tus, mortalia prorsus abdicare, unigue
 Deo auctoratus æternum mancipari jam
 cupiebat. Nec tamen hæc vota mo-
 mentum habuere; parum enim abfuit,
 ne complurium Purpuratorum suffragiis
 & ardentissimis Romani populi deside-
 riis in Pontificem maximum eligere-
 tur; obstitit ferme solus Cardinalis Al-
 thanius, qui Cæsaris nomine Paulu-
 tium a triplicis tiaræ spe excluserat.
 Mortuo Innocentio XIII. denuo Cardi-
 naliū plurium votis ad illud solium
 evehendus credebatur, ex quo supre-
 mus Præsul universo Orbi jus Sacrum
 diceret: Ast rursus fortuna virtutem
 non æquabat, omnium ferme suffragiis
 electo Ursinio. Dolebant equidem non
 pauci adversam hujus Cardinalis vicem,
 soli tamen placidissimo huic Seni satis
 erat, tantam dignitatem virtutum suf-
 fragiis non semel promeruisse: Perspe-
 ctas quoque habebat Benedictus XIII.
 animi dotes, rerum gerendarum dex-
 teritatem, & in Sacris æque ac poli-
 tics experientiam, qua Paulutius præ-
 ceteris eminebat, quocirca mox eum in
 Vicarium Generalem sibi selegit, ac
 denuo a secretis esse jussit: Occurrebat
 nul-

Sæc. XVIII. nullum plane negotium, ad quod feliciter expediendum non exquireretur
A. C. 1725 Paulutii consilium & opera; præcipuas habebat partes in recognoscendis Romani Concilii actis, in dirimendis Gallorum Præsulum controversiis, in examinandis duodecim Noaillii articulis, ac denique in componendis difficillimis, quæ Ecclesiam suo ævo exagitabant, dissidiis: Tot, tamque assiduis laboribus, ac gravi senio confectus, fractusque lethali morbo corripitur, quo etiam die undecima Junii absumptus est, annos natus septuaginta quinque. Morientem sæpius adivit Benedictus XIII. eumque piis adjuvit officiis. Scripsit hæredes sui patrimonii duos ex Sorore Nepotes, nomine Merlinios: Quinque autem scutorum millia ex Ecclesiæ redditibus acquisita Forolivienfi Missioni, & totam suam suppellectilem FF. Minoribus, Eremitis, Nosocomio S. Michaelis, Monasterio S. Susannæ, & pauperibus legaverat. Ipsius Cadaver ea pompa, quæ S. Collegii Decanum decet, ad Ecclesiam duodecim Apostolorum delatum, in Templo S. Marcelli, quod vivens magnis sumptibus ornaverat, sepultum est. Erat sane Princeps, cujus præclara prorsus merita, virtutes, dexteritatem, doctrinam, atque experientiam non modo Romana
 Aula

Aula & Cardinales, sed & maximi Principes, Proceres, ac Romanus populus tam præclaris celebrabant elogiis, ut ille in posteritatis memoria perpetuo vivat.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. LXIII.

*Galeatii Marescotti Cardinalis
fata.*

Natus erat Galeatius Marescottus Romæ die 1. Octobris anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo Parentibus nobilitate inclytis, Sfortia Marescotto & Victoria de Ruspolis. Emicabat in puero jam tum eximia quædam indoles, & ingenii vis magna, cujus ope ab optimis Præceptoribus pie ac liberaliter institutus, egregium prorsus in literis profectum fecit. Juvenis adhuc inter Romanæ Curie Præfules ab Urbano VIII. recensetur, ac pluribus ditionis Pontificiæ Urbibus præficitur: Videbatur autem ad altiora natus, aptusque, quocirca ab Alexandro VII. primum Quæsitore Fidei in Insulam Melitensem & postea Nuntius Apostolicus in Poloniam decernitur, ubi Lotharingiæ Ducem ad Regni hujus administrationem evehendum, sedulo procurabat, indignante Bonzio Franciæ Regis Oratore. Inde Romam
rever-

Sæc. XVIII. reversus, & S. Officii Assessor dictus,
A. C. 1726. jussu Clementis X. Hispana Legatione
 fungitur, ibidemque fidei Catholicæ
 incrementa tam strenue promovet, ut
 ejus opera & consilio per plurima de-
 creta Religioni egregie prospectum ef-
 fet, ac ipse in exantlati laboris præ-
 mium a Carolo II. Hispaniæ Rege Ro-
 mana Purpura decorari, enixe petere-
 tur, quod & feliciter impetratum est.
 Romam inde redux, Ferrariensem Le-
 gationem obire, a Clemente X. jube-
 tur, post cujus obitum in Sacris co-
 mitiis a nonnullis Cardinalibus in sum-
 mum Pontificem expetebatur; ipse
 vero de se minime sollicitus, totum
 suum studium eo impendit, ut Inno-
 centius XI. eligeretur, sub cujus Pon-
 tificatu per omnes sacros Magistratus
 & officia exercitatus, se talem omni-
 bus præbuit, ut sese Ecclesiæ integer-
 rimum Antistitem, Sacris Curiis æquis-
 simum Judicem, & foro præstantissi-
 mum exhiberet Causidicum, nec ta-
 men delinquentibus gravis Censor, aut
 egenis munificentissimus Patronus de-
 erat, vulgo dictus Cato gravissimus,
 qui nullo habito personarum respectu
 cunctis ex æquo jura & Magistratus
 daret. Mortuo Innocentio XI. Galea-
 tium pene Pontificem Orbis vidisset,
 nisi Bichius Cardinalis & Franciæ

Ora-

Orator cum suis restitissent: Nec felici-
 or erat in proximis comitiis, in qui-
 bus suffragantium animi in Innocen-
 tium XII. conspirabant: unde ignota
 quædam manus ad Galeatii fores hos
 versus inscripserat:

*Tunc rerum moderator eris, dignissime
 Princeps,*

Cum sua vota tibi Bichius ipse dabit.

Bichius enim rursus obstiterat Galea-
 tio, quem etiam non pauci utpote juris
 peritia inclytum, & ab omni partium
 studio alienissimum causabantur eo ipso
 nimis austerum fore: carpebant alii, illum
 Venetis tum in Conclavi dominantibus
 parum fuisse propensum, proin a Gallis
 absdubio excludendum, ac insuper in-
 genio moribusque primævo naturæ vi-
 tio difficilem esse, etsi oris suavitatem,
 comitatemque simulare videretur. Hæc
 a variis objectabantur, quibus tamen
 non obstantibus illi Cardinales, qui
 Cæsareis ac Hispanis favebant, sua
 vota in Galeatium contulere, absdubio
 tiara coronandum, nisi ipsemet suorum
 animos in Innocentium XII. inclinasset.
 Ea Viri moderatio tantopere Neo-
 electo Pontifici placuit, ut ejus con-
 silia ac sententias in rebus maxime ar-
 duis longe ceteris præferret, atque ad
 amissimæ ea sequeretur. Innocentio autem
 fati functo denuo nil propius esse vi-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

Z de-

Sæc. XVIII. debatur. quam Galeatium ad D. Petri
 A. C. 1726. Cathedram evehi, unde ejus amici ad
facrum Conclave ituro hanc dignitatem
 augurabantur, affixo hoc carmine:

*Et mare virtutum merito Marefcotte
 vocaris,*

*Nec fal in cerebro deficit ipse Scoti.
 Si Zephyri adspirant, vertent huc car-
 bafa Patres,*

*Namque haud indignum est hoc mare
 rete Petri.*

Enimvero in prima scrutatione so-
 lus plurimorum suffragia tulerat; Gal-
 lorum tamen artibus factum, ut in-
 stante Hispani Regis obitu electio tam-
 diu differretur, donec neglecto penitus
 Galeatio, Cardinalium pene omnium
 vota in Clementem XI. pertraheren-
 tur: Hac fatorum invidia adeo non
 commotus erat, ut etiam singulari læ-
 titia, animique serenitate ceteris prior
 sua novo Pontifici obsequia deferret,
 ac in quolibet Patrum Conventu ea,
 quæ in S. Sedis utilitatem, majorem-
 que Pontificis honorem cederent, sta-
 tuti curaret, in qua quidem re id ad
 peculiarem ipsius gloriam memoran-
 dum, quod ceteri Cardinales, etsi longe
 doctissimi essent ab illius omnes ore
 pendere viderentur, in ejusque senten-
 tiam concederent non inviti: tanta e-
 rat ipsius eloquentia, dicendique vis
 cum

cum pietate conjuncta! Annum agebat ætatis octogesimum septimum, cum corporis sui vires pertinaci studiorum labore, atque assiduo in obeundis Ecclesiæ negotiis conatu admodum debilitatas sentiret, quocirca potissimis, quibus hucusque fungebatur officiis liberari efflictim postulavit, cunctaque scripta circa causas feliciter diremptas se præsentem concremari jussit, ne inanis gloriæ fumus humilitatis suæ splendorem obfuscaret. Ab illo temporis articulo soli animæ suæ consulendum ratus, nil eorum prætermisit, quæ ad Dei obsequium, & proximi salutem conferre censeret. Nec diu opportuna exercendæ pietatis occasio ei deerat; Turcis enim Cretam Insulam infestantibus ad ferendos belli sumptus maximam pecuniarum vim Venetis suppeditabat, insuper lectos, culcitræ, linthea &c. in pauperum nosocomia, ut eorum necessitatibus subveniret, non semel liberali manu erogabat, in omnium levamen prodigus, nulli præterquam sibi parcus. His talibus aliisque pietatis operibus assidue exercebatur, ac neglectis pene corporis sui curis id unum a summo Pontifice impensius rogabat, ut in virtutes & prodigia Venerabilis Hyacinthæ de Marescottis Amitæ suæ inquiri juberet. Id quo-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. que ejus votis datum est, non sine lu-
 culento sollicitudinis suæ præmio; cum
 A. C. 1726. enim die 25 Febr. Anno hujus Sæculi
 decimo nono apoplexia tactus, amif-
 soque omnium sensuum usu cunctis ad
 ultimam luctam Sacris munitus, sum-
 mam appeteret horam, quidam ex ejus
 Amicis, ubi nullam aliam salutis spem
 superesse cernebat, moribundi Cardi-
 nalis pectori illam admovit Christi Cru-
 cifixi imaginem, quam præfata Vene-
 rabilis Virgo gestare solebat, & Ecce!
 eodem prorsus momento restituitur
 oculorum & linguæ officium, depel-
 luntur omnes morbi reliquæ, tamque
 subitanea accessione augentur vires, ut
 altera die paulo ante morti proximus,
 nunc firmo corpore accederet Templum,
 cui *ab anima* nomen, Deo Ter optimo
 debitas repensurus grates. Vigesima
 jam annus abierat, dum & mors Cle-
 mentem XI. oppressit, & novis comitiis
 die trigesima prima Martii initium da-
 tum est, quibus tamen Galeatius, cum
 jamjam nonagesimum quartum ætatis
 annum ageret, interesse noluit: Inno-
 centio XIII. suffecto, eoque mox post
 alterum Pontificatus sui annum vivis
 erepto, Sacrum quidem Conclave ingre-
 di, recusavit, eoquod fractas admo-
 dum atque imminutas haberet vires:
 id tamen venerando huic Seni maximo
 erat

erat solatio, quod Vincentium Mariam Ursinum, quocum per plurimos annos familiarissime egerat, in Cathedram Divi Petri evectum viderit. Hoc quidem gaudio haud diu frui licuit; jam enim die tertia Julii non tam mortuus est, quam vivere desiit, postquam centesimum ætatis annum, uno trimestri minus attigerat, & per quinquaginta & unum annos Romanam Purpuram, virtutum splendore decoraverat. Porro spectatissimum hunc integri pene sæculi Nestorem lugubri fletu prosequerantur omnes; omnium enim amorem ob animi sui ingenuitatem, ob gravitatem comitate conditam, & ob singularem in pertractandis negotiis dexteritatem in se solum converterat, unde illum omnes ceu Virum venerabantur plane dignissimum, qui ad exemplum utilitatemque aliorum per plurima adhuc sæcula vitæ suæ dies protenderet.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

§. LXIV.

Julii Piazzæ Cardinalis mors.

Julii Piazzæ, quem humanæ sapientiæ & virtutum specimen invictissimum, non solum vulgaris fama deprædicavit, sed & maximi ingenii Auctores ejus vitam descripserunt, facta aut

Z 3

dicta

Sæc. XVIII. dicta referre, haud exigui laboris effet, A. C. 1726. si ad singularia descendere, instituti ratio deposceret. Majora tamen, magisque præclara delibare juvat. Natus is erat Forolivii die decima tertia Martii anno post Nativitatem Dominicam millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio. Parentes habuit ex nobilissimo Germanorum genere ortos Comitem Franciscum, & Franciscam de Savorellis. Tenera in ætate Julius Romam accersitur a Camillo ejus Patruo, qui tum inter Romanæ Curie Præsules, pietatis atque eruditionis fama plurimum inclaruit. Hujus ergo cura ac diligentia ad virtutem informatus, in humaniores literas incubuit, & paulo post tam felices progressus in Philosophicis ac Theologicis disciplinis fecit, ut citius excellere ei contingerit, quam æquo ferre animo æquales possent. Laudanda hæc æmulatione incitatus, omne eruditionis ac doctrinæ genus exhaustisse videbatur: Unde, cum ad summa quæque natus esset, primo variis Pontificiæ ditionis urbibus regendis præficitur, & demum ab Innocentio XII. Bruxellas, ac inde ad Helvetos Nuntius Apostolicus ablegatur, quo in munere per quinquennium probe exercitatus, Coloniam Agrippinam Legatus ire jubetur, ubi tamen obortis difficultatibus

tatibus non modo cum Coloniensi Archiepiscopo Gallis addictissimo, sed etiam cum Josepho I. Imperatore ob reiectas primarias preces, Romam redire cogebatur, ut Innocentio XII. ab arcanis Epistolis esset, demum vero ab eodem Pontifice, velut omnium gentium incola futurus, ad Sarmatas, & postremo Viennam ad Cæsarem Nuntius decernitur. Ibi concordiam Imperatorem inter & Pontificem feliciter stabilivit, ac propterea anno hujus Sæculi decimo Episcopus Civitati Faventinæ dictus est, quin Vienna Romam reverti cogeretur. Anno sequenti mors tristissima Josephi I. Imperatoris incidit, & paulo post electio Caroli VI. cujus festivæ coronationi in Hungariæ Regem interfuit Julius, adhuc ignarus, quod ipse Romæ die decima octava Maij ejusdem anni S. Cardinalium Collegio adscriptus fuisset. Exiguo post tempore Biretum, quod Merenda Abbas Viennam deportabat, Imperator novi Cardinalis Capiti ipse in Regio Sacello imposuit. Hac dignitate auctus, eo ardentius sua Sacræ Sedi obsequia dicabat, ac præprimis eidem Comaclensem Urbem restitui, & pacem Cæsarem inter & Franciæ Regem reddi urgebat, secundo prorsus impigri conatus successu; oleam enim & laurum

Sæc. XVIII. rum Romanæ Urbi inferebat, dum
 A. C. 1726. anno hujus sæculi decimo quarto Vien-
 na Romam reversus est, ac paulopost
 Rufo Cardinale vivis erepto in Ferrar-
 iensem Legatum nominatus, incredi-
 bili morum comitate & prudentia om-
 nium amorem atque admirationem in
 se rapiebat. Hoc munere laudabiliter
 defunctus, ad suam Ecclesiam rediit,
 quam utpote fidelissimus Pastor postea
 nunquam deseruit, nisi dum mortuo
 Clemente XI. ad S. Comitia Romam
 venire jussus esset. Tum vero Ponti-
 ficia tiara eo dignior potissimis visus est,
 quo magis ab ambitu remotus erat:
 Collimabant quidem in eum plebis Ro-
 manæ desideria, Procerum vota; qui-
 nimo scrutatione facta deprehensum,
 ipsum solum tot tulisse suffragia, quot
 ad validam Pontificis electionem jura
 deposcunt; nec ullus Principum Ora-
 tor, quid in neo - electo reprehenderet,
 invenerat: nil ergo aliud deerat, quam
 solemnitas ac publica electionis factæ
 promulgatio, quam officiosa duntaxat
 præpediebat cunctatio; quorundam
 enim opinio erat, Hispanorum Cardi-
 naliū Bellugæ & Borgiæ adventum
 expectandum esse, ut & hi honorifi-
 cam in hac solemnitate partem habe-
 rent, nemine dubitante, hos quoque
 sine ulla tergiversatione ceterorum suf-
 fragiis

fragiis accessuros. Id quoque merito Sæc. XVIII
 observandum, quod toto, quo hujus A. C. 1726
 Viri electionem rumor sparserat, tem-
 pore nulla omnino satyra, aut mordax
 quoddam scriptum prodierit, quod ta-
 men Romæ quid prorsus insolitum est.
 Ceterum hæc ipsa longior mora Julio
 erat infesta; interea enim temporis
 Cardinales Albani partibus adhæren-
 tes motis nescio quibus difficultatibus
 Hispanos, & alios quatuor Purpuratos
 a Julii studiis averterunt, adeo ut in
 proxima scrutatione tredecim omnino
 deessent suffragia, & concurrentibus
 pene omnibus postea Benedictus XIII.
 eligeretur. Id haud ægre tulerat Ju-
 lius, quinimo omnibus persuasum erat,
 quod si ipse sibimetipsi deesse nolisset,
 nullo ferme negotio illos, qui ab eo
 defecerant, sibi rursus conciliare po-
 tuisset, in hoc longe gloriosior, quod
 hanc dignitatem ipse solertius fugere
 videretur, quam alii ambire certarent.
 Tranquillo igitur animo Julius Roma
 ad suum gregem reversus, paulopost
 periculoso obruitur morbo, quo etiam
 die vigesima quarta Augusti pie obiit,
 annos natus sexaginta tres. Erat Prin-
 ceptis oris majestate gravis, in omni-
 bus suis actionibus prudens, circum-
 spectus, moderatus, æqui tenacissi-
 mus, & in Principum Europæorum

Sæc. XVIII. Aulis, rebusque politicis longe versatissimus. ac denique omnibus gratiæ & naturæ dotibus tam abunde decoratus, ut si fortuna cum ejus meritis fuisset æquata, inter summos Pontifices Maximus & Optimus floruisset.

§. LXV.

Bernardini Scotti Cardinalis extrema.

Meritis haud inferior erat Bernardinus Scottus patria Mediolanensis. Hic ex Vincentio Comite, & Theodora Cusana Nobili Matrona progenitus, haustis primis literarum rudimentis Ticinum mittitur, ut ibidem in Universitate sacratoribus literis & præsertim Jurisprudentiæ operam navaret. Inde laurea decoratus Mediolanum, Judicum & Doctorum Collegio adscriptus revertitur. At Eruditionis fama, qua inclaruit, haud diu latere poterat Innocentium XI. a quo Sacri Senatus Advocatus, & ab Alexandro VIII. Nepotis sui Ottoboni Cardinalis Auditor, renuntiatur: Paulopost inter Romanæ Curiæ Præsules recensitus, in Congregatione, quæ *Consulta* vocatur, ad ferendum suffragium assumitur, aliis pluribus auctus officiis, quæ ipsi amplissimum meritorum campum aperiebant:

bant: Celebrior jam factus Cardinali Barberino, quem Pontifex Neapolin ad Philippum V. Regem ablegabat, necnon Imperiali Cardinali ad Carolum VI. Mediolanum misso comes Legationis adjungitur; inde vero reversus, Romanæ Urbis Governator nominatur, quod munus summa cum integritate quadriennium obibat, ediditque plura decreta oppido salutaria, infames quippe mulierculas, & juvenum pestes urbe expellebat, nullumque malefactorem unquam impunitum dimittebat, qua etiam severitate non modo Urbis securitati prospexit, sed una Romani populi amorem sibi conciliavit; eo enim ad clavum sedente, sicut raro admodum in frequentissima hac urbe latrocinia, furta, homicidia, aut nocturæ expilationes auditæ fuerunt, ita nunquam probi sine virtutis mercede relinquebantur. Ne vero solus Scottus sine præmio esset, a Clemente XI. inter Cardinales Presbyteros relatus est, Governatoris munere adhuc per alterum fere biennium retento: Hac tamen dignitate non ad sui, sed Sedis Apostolicæ commodum auctus videbatur; cum enim contra Turcarum invasiones maritimæ Pontificis Urbes & Melitensium Insulæ muniendæ essent, ipse pro ferendis sumptibus multa

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. multa scutorum millia suppeditavit:
 A. C. 1726. Siculos etiam Sacerdotes, quos Regis
 Sardiniae Administrum ceu refractarios
 inde expulerant, opum suarum impendio,
 utpote Pontificio decreto obtemperantes aluit: Anno Christi millesimo
 septingentesimo decimo septimo die vigesima
 Junii in locum Fabritii Spadæ Præfectus
Signaturæ justitiæ creabatur, & Congregationi de
 Propaganda fide aggregatus, Hungarico - Germanici
 Collegii, necnon patriæ Mediolanensis Ecclesiæ ad
 SS. Ambrosium & Carolum Romæ patrocinium in se
 suscipiebat. Augebatur insuper prædite Abbatia
 Cremonensi ad S. Stephanum: Paulopost, ut a
 gravissimis laboribus paulisper respiraret, sese
 ad suburbanam villam suam (Caprocolam dicunt)
 contulit, ubi tamen pene spiritum & vitam amisit,
 tam subita animi defectione obrutus, ut jamjam
 obiisse videretur. Accurrunt illico Cardinales
 Corradinus & Albanus, & prout pene conclamatum
 lugent, ita sanitati, Patriæ & Ecclesiæ necessitatibus
 restitutum, eo tenerius lætantur, quo magis
 manifesto Beatæ Virginis beneficio ipsum mortis
 faucibus ereptum agnovere. Ipse etiam Scottus
 sibi redditus, confestim ædem Dei Parentis Virginis,
 quæ Laureti summa religione colitur,
 voti

voti solvendi causa adiit, largoque do- Sæc. XVIII.
 nario suam gratitudinem testatus est. A. C. 1726.
 Redux inde factus, in Alberonii Car-
 dinalis mores inquirere jubetur, qua
 tamen causa vix finita, cum Clemens
 XI. Papa vita decederet, Sacrum Con-
 clave ingreditur, multis eidem accla-
 mantibus, ut qui purpuratus intraret,
 non nisi trina decoratus tiara inde Ponti-
 fex egrederetur. Eleſto autem Innocen-
 tio XIII. pluribus præfuit Patrum Cæ-
 tibus, in quibus semper præclara suæ
 integritatis ac doctrinæ specimina edi-
 dit, summo Pontifici percharus, & a
 ceteris Cardinalibus maximi habitus.
 Biennio post rursus sacris interfuit co-
 mitiis, in quibus denuo non pauca
 Patrum vota in prima scrutatione in
 eum concurrebant, ipse vero sui im-
 memor, Ursinium Cardinalem, Virum
 longe meritissimum suo etiam suffragio
 in id fastigii una reposuit. Sub hoc
 Pontifice Benedicto XIII. apud quem
 gratia plurimum valebat, raro S. Con-
 gregationibus interesse poterat; assiduis
 enim pressus doloribus unice eo inten-
 tus erat, ut sese ad extremam cum
 morte luctam accingeret. Tandem
 vero die decima sexta Novembris Ro-
 mæ pie, uti vixerat, obiit, sepultus
 in Ecclesia ad S. Carolum, in qua Al-
 tare magnifico sumptu erexerat. Ce-
 teros

Sæc. XVIII. teros thesauros suos in manus paupe-
 A. C. 1726. rum in vita potissimam partem depor-
tavit, magnamque pecuniæ vim in sub-
 sidium belli Helvetici contulit, plura
 etiam aureorum millia in Ecclesiarum
 reparationes & cultus, necnon in Re-
 ligiosos atque egenos insumpsit. Te-
 stamento etiam caverat, ut ejus Bi-
 bliotheca ad Calvachinum, pretiosa
 vero ejus suppellex in pauperes, & de-
 nique suæ familiæ bona in Joannem
 Comitem Scottum Fratrem suum trans-
 ferrentur, ea tamen lege, ut eo de-
 functo Magnum Mediolanense Nosoco-
 mium hæres illorum esset.

§. LXVI.

Joannis Baptistæ Bussi obitus.

Vid. supra
t. 67. l. 214.
cap. 658.

Eodem pariter anno æternitatis viam
 ingressus est Joannes Baptista Bus-
 sius Viterbii natus Patre Joanne de
 Bussi, & Matre Eleonora de Marsciano,
 quorum uterque illustri Comitum fa-
 milia ortus, & florenti in fortuna con-
 stitutus erat. Hi diligentem prolis in
 pietate efformandæ curam susceperunt;
 Educatum igitur Joannes liberaliter,
 latinæ literas, quantum puerilis ætas
 patiebatur, in paterna domo didicit.
 Adultior factus, Romamque missus,
 sub disciplina Ludovici Bussi præ-
 stantif-

stantissimi Præfulis diu perstitit, totoque hoc tempore gravioribus scientiis intentum animum adjecit, quibus probe imbutus, in Romana Universitate inter Jurisprudentiæ Doctores laurea insigniri meruit. Adolescentis probitas ac doctrina ut primum innotuit, mox Vaticanæ Basilicæ Canonicus a Papa dictus, curæ ac regimini præficitur illorum pauperum, qui ex morbo tum in Urbe Leonina sædius grassante misere tabescebant. Hoc pietatis officio non sine laude functus, ad altiora vocatur, & primo quidem Bruxellas Apostolicus Nuntius ablegatur, ubi florentissimam quidem Belgii Provinciam, Calvinii tamen & Jansenii erroribus infectam adeo feliciter ab hac peste liberavit, ut Catholicorum numerus difficillimis hisce temporibus non modo non imminutus, sed plurimum quoque auctus fuerit: Ne vero Catholici, qui maximo numero in Fœderato Belgio erant, Petri Coddæi Sebasteni Archiepiscopi exemplo atque auctoritate perverterentur, Bissii potissimum studio factum est, ut hic Archipræful de collusionem cum Jansenistis postulatus, Romam evocaretur, de sua orthodoxia rationem redditurus. Bussius interea nullum non moverat lapidem, ut tranquillitatem pravorum hominum artibus per-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII, turbatam Catholicis restitueret. His
 A. C. 1726. præclare gestis excitatus Clemens XI.
 postea illum Tharsensis Archiepiscopi
 titulo auctum Coloniam Nuntium de-
 crevit, quo in munere, quam Apo-
 stolica libertate illis, qui Lutheri sacra
 invehere moliebantur, restiterit, jam
 supra fusius memoravimus: Insuper
 omne studium impendit, ut ibidem in-
 juria sacris etiam juribus & Personis
 irrogatæ, opportunis remediis sarcir-
 rentur; hæreticos quoque Præcones
 Urbem infestantes inde ejecit, & Ca-
 tholicis inter Eterodoxos agentibus
 Confirmationis Sacramentum jam per
 plures annos intermissum administra-
 vit, & ne per ejus absentiam fors in
 exteris ditionibus perversæ doctrinæ
 Zizania succrescerent, ipseus incredibili
 vigilantia non modo Colonensem, sed
 & Leodiensem ac Fuldensem Diæceses
 lustravit. Tandem vero post exantia-
 tos tot labores & fastidia Romam re-
 dire permissus, Anno 1511. Anconitana
 Infula, & anno sequenti Romana Pur-
 pura honoratur; ac pluribus S. Con-
 gregationibus adscribitur: Paulopost
 tamen ad suam Ecclesiam profectus,
 Divinum cultum in sua præsertim Ca-
 thedrali restauravit, perlustrata Diæ-
 cesi gregem suum verbo & exemplo
 pavit, pravos ad frugem reduxit, ege-
 nos

nos liberaliter juit, ac hospites benigne excepit. Quarto post anno gravi apoplexia tactus, inter suorum manus pro mortuo collapsus est, pristinae tamen sanitati redditus, omnes denuo, uti hactenus consueverat, vigilantissimi Pastoris partes explevit. Interfuit quoque Romae sacris comitiis pro electione Innocentii XIII. & Benedicti XIII. Pontificum. Auctis demum corporis infirmitatibus die vigesima tertia Decembris meritis plenus, Romae obiit, anno ætatis suæ sexagesimo nono. Cadaver ejus primo ad ejus Ecclesiam Titularem S. Mariæ in Ara Cæli delatum, postea tumulatum est in Templo S. Mariæ Trans Tyberim in Sacello ejus gentilitio.

Sæc. XVIII,
A. C. 1726.

§. LXVII.

Tres Cardinales a Benedicto XIII. creati.

Horum Cardinalium jacturam reparaturus Pontifex, habito secreto Patrum Senatu die undecima Septembris Cardinalem enuntiabat Andream Herculem Fleurii Foro-Juliensem Episcopum. Hujus Viri nominatio aliquamdiu differebatur, contentione exorta inter Franciæ Regem & Imperatorem; hic enim nullatenus Gallum,

Hist. Eccles. Tom. LXXII.

Aa

nisi

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

nisi pariter Germanus eligeretur, ad Regis preces nominari voluit: tandem vero re ultro citroque discussa consentit, ut ante alios a Regibus nominandos solus enuntiaretur Andreas Fleurii: De Cæsaris Regisque Hispani consensu Richelius Dux per specialem Nuntium die septima ejusdem Mensis Polignacum Cardinalem certiozem reddidit, qui etiam altera mox die Papam adiit, cum ipso hac super re acturus: Annuuit equidem Pontifex, de nimia tamen Regii Ministri importunitate haud parum questus est, rubrum nihilominus Biretum Parisios deferendum Abbati Gualterio commisit, quod etiam Ludovicus XV. Galliarum Rex Herculi Fleurio non sine luculenta gaudii testificatione, solemnique pompa die quinta Novembris imposuit. Ceterum novus hic Cardinalis sese de Clero Gallicano optime meritum reddidit; sua enim, qua apud Regem valebat gratia, obtinuit, ut a decimis nuper indictis Clerici eximerentur, & *donum*, ut vocant *gratuitum* imminueretur. Porro die sexta Decembris Pontifex denuo habuit Cardinalium Conventum, in quo declarabat, se novem Cardinales creaturum, ex his vero nonnisi duos evulgaturum, reliquis septem *in pectore*, ut ajunt, reservatis. His auditis Cardinales,

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

nales, qui Principum negotia Romæ procurarunt, impense efflagitabant, ut Sanctitas sua illorum potissimum rationem haberet, quos Reges pro jure suo nominassent: præcipue vero Bentivolius & Cienfuegos Cardinales declarabant, nec Hispaniæ nec Franciæ Reges ullum pro Cardinale habiturum, nisi prius Melfitanus Episcopus Pontificis Avunculus Purpura decoratus fuisset. Ad hæc Pontifex respondit, se die nona Decembris primo mortuos ac Sanctos, ac demum etiam vivos honoraturum: Præfixa igitur die in *secreto*, ut vocant, *Consistorio* prolixum habuit sermonem, ubi inter alia mentionem fecerat de Sixti V. Constitutione, vi cujus sanctum, ut semper nonnulli ex Ordinibus FF. Mendicantium, in sacrum Purpuratorum Collegium cooptarentur, & Cardinalibus egenis de congruo subsidio prospiceretur: postea declarabat, se adhuc alios duos Præsules ad Cardinalitiam dignitatem selegisse, nulla habita carnis & sanguinis, sed duntaxat meritorum ratione: Postea Cardinales his verbis alloquebatur. *Quid vobis videtur?* cunctis autem annuentibus enuntiabat. I. Nicolaum Mariam Lercari Archiepiscopum Nazianzenum Presbyterum Cardinalem tit. SS. Januarii & Pauli.

A a 2

II.

Sæc. XVIII. II. Laurentium Cozza Montis Falisci
 A. C. 1726. Ministram Generalem FF. Minorum
Observantium S. Francisci Presbyterum
 Cardinalem tit. S. Mariæ de Ara-Cæli.

§. LXVIII.

Plures Beati Sanctorum Albo a Be-
nedicto XIII. Papa inscripti.

Ribad. vit. Sanct. t. 21. pag. 212.
Bulla Canoniz. Bull. magn. t. 10. pag. 269.

Hoc item anno Benedictus Papa mortuos ac Sanctos, uti nuper promiserat, publico cultu honorabat; die enim trigesima prima Decembris plures Beatos Sanctorum fastis adscripsit. Hos inter primus erat Stanislaus Koska Nobilis Polonus, qui decimo tertio ætatis anno Viennam liberalibus disciplinis imbuendus mittebatur: Expleto unius anni studio clam Vienna Dilingam aufugit, ibidemque literis, quas juveni P. Antonius Jesuita dederat, ad P. Patrem Canisium tum Provincialem munitus advenit, a quo quidem ad Seminarium admissus, famulatum tamen domestici partes aliquamdiu explere jubebatur: Sæpius ardens suum Societatem ingrediendi desiderium probebat, nunquam tamen voti compos fieri poterat, suadente ergo eodem P. Antonio Romam ad S. Franciscum Borgiam tunc Societatis Generalem ire constituit, cui etiam idem P. Canisius

nifius perscripserat, hunc juvenem ob virtutum præstantiam omnino dignum esse, ut Societati aggregaretur. Hac commendatione permotus P. Generalis, rescripsit, Stanislaum admitti posse, Romæ S. habitu induendum: His literis Anno 1567. die vigesima octava Octobris Dilingam delatis, P. Canisius mox juvenem Romam pergere jussit, qui etiam Mense Novembri ad medium vergente ibidem appulit, moxque Borgia accessit, a quo perbenigne exceptus, inter Societatis tyrones adscriptus est, atque *in omnium Christianarum virtutum agone veteranum se Dei militem exhibuit*: Nondum vero expleto decimo tyrocini anno assiduus afflicta- tus est morbis, ac tandem die decima quarta Augusti Anno 1568. animam suam Deo reddidit annos natus octo- decim: Ejus cubile, in quo æger de- cubuit, Romæ in Nosocomio ad S. Joan- nem Lateranensem in Sacellum fuit conversum, ac hodiedum ejus toga cubicularis ibidem religiose asservatur, Biennio post ejus Corpus a corruptione liberum, suavemque spirans odorem repertum est. Ferunt etiam, Sigis- mundo Polonorum Rege contra Tur- cas præliante, Stanislaum in aere sub- limem visum esse, indeque Polonorum animos ita erectos fuisse, ut plenam

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. de immani hoste victoriam reportarent.
A. C. 1726. His aliisque quamplurimis prodigiis rite probatis Paulus V. Stanislaum Beatorum numero adscripsit. Postmodum sanctitatis ejus fama latius ubique diffusa, auctoque miraculorum numero Benedictus XIII. Eundem inter Sanctos solemni ritu adnumeravit.

*Virg. Cep.
 vit. S. Aloyf.*

Eodem hoc anno ac die idem Pontifex Beatum Aloysium ex eadem Societate Sanctorum Confessorum Canonice adscripsit. Hic vix annum ætatis decimum quintum egressus, in Societatem migrare constituit, quin aut Regum & Principum blanditiis, aut Parentum minis ab hoc proposito abstereri posset. Romæ igitur in tyrocinium cooptatus, votisque de more nuncupatis, ac demum primis Ordinibus initiatus mirum est, quanta verecundia, humilitate, paupertatis studio, sui contemptu, ac præcipue morum innocentia sese toti Urbi admirandum exhibuerit: Ejus quoque Sanctitatem diferto præconio vulgavit in mentis excessu Sancta Magdalena de Pazzis Virgo Carmelitana. Tandem Aloysius mortis suæ præscius nocte, quæ inter vigesimam primam & secundam Junii Anno 1591. intercedit, vitam hanc cum æterna commutavit, cum vixisset annos viginti tres; Paulopost Synodus

nodus Mantuana, & Christiani Principes, ut is in Beatorum numerum referretur, Paulum V. Pontificem exorabant: Ad quorum preces, ejus virtutibus & miraculis rite comprobatis, primum Beatis, ac demum hoc anno a Benedicto XIII. Sanctorum fastis adscriptus est.

Pari solemnitate idem Pontifex publicos Sanctorum Confessorum honores ac cultus decrevit B. Joanni a Cruce primo Parenti Carmelitarum Discalceatorum, qui anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Fontiberi in Hispania Parentibus quidem nobilibus. modicæ tamen fortunæ natus erat. Nondum quintum ætatis annum attigerat, cum forte in puteum delapsus, Beatæ Virginis Mariæ manu, cunctis, qui aderant, stupentibus, prodigiose sublatus, incolumis prodiret: Adolescens Metymnæ Campi in Nosocomio sese ægrotorum, ac pauperum famulatu addixit, & maxima charitate diu noctuque languentes solatus, non modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvandis obire detrectavit. Quicquid interim temporis tam pio ministerio supererat, assiduis precibus, vigiliis, lacrimis & Dominicæ passioni religiose recolendæ impendebat, Deo vitæ sanctitatem

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Bull. Canonis. S. Joan. a Cruce Vid. supra Hist. Eccl. cont. t. 51. p. 273.

Sæc. XVIII. crebris favoribus ac miraculis compro-
 bante. Divino quoque oraculo admo-
 nitus Fratrum B. V. M. de monte Car-
 melo institutum professus est, ac post-
 ea purioris disciplinæ studio incitatus,
 sanctæ Theresiæ se comitem atque Ad-
 jutorem adjunxit, ut primæva Ordinis
 observantia inter Sorores per præfatam
 S. Virginem jamjam instaurata etiam
 inter Fratres restitueretur. Ubi etiam
 admiranda innocentia, assidua rerum
 Divinarum contemplatione, asperrimo
 vitæ rigore, doctrina cælitus commu-
 nicata, miro in dæmones imperio sum-
 misque virtutibus inclaruerat, suorum-
 que corda in perfecto Dei cultu unde-
 quaque firmaverat. Demum diro morbo
 & in crure quinque plagis patientissime
 toleratis, ad illa Psalmi verba: *In manus*
tuas &c. die & hora a se prædictis
 Ubedæ Anno 1591. die decima quarta
 Januarii annos natus quadraginta no-
 vem purissimam efflavit animam: Vir
 erat Deo percharus, dæmoni terribi-
 lis, mentis innocentia, constantia in
 adversis, miraculorum ac prophetiæ
 dono per totam Hispaniam illustris,
 inque mysticæ Theologiæ arcanis scri-
 pto explicandis divinitus instructus,
 unde jure *Doctor Mysticus* passim ap-
 pellatur. Corpus ejus miro odore per-
 fusum, omnisque corruptionis expers
 Joan-

Joannem veluti placido somno sopitum Sæc. XVIII.
 referbat: Virtutum autem & prodi- A. C. 1726.
 giorum fama indies percrebescente
 Alexander VII. hujus Viri gesta ma-
 turo Cardinalium aliorumque judicio
 commisit, quibus omnibus serio di-
 scussis ac rite probatis, Clemens X.
 Segobiæ ejus Corpus ex humili atque
 antiquo tumulo extolli jussit, ubi om-
 nino incorruptum, palpabile, mirifi-
 cumque emittens odorem repertum est;
 qua de causa idem Pontifex instituto
 novo examine Venerabilem hunc Pa-
 trem die vigesima prima Aprilis Anni
 1675. Beatorum Catalogo adscripsit.
 Novis dein miraculis jussu Innocentii XI.
 undique conquisitis, & sæpius riteque
 perpensis, ac unanimi omnium senten-
 tia comprobatis Benedictus XIII. illum
 ritu solemniter Sanctum esse definivit,
 sacrasque ejus exuvias visitantibus pe-
 culiaries concessit indulgentias.

Quartus inter eos, qui sacra Apo-
 theosi in terris honorati sunt, erat Bea-
 tus Franciscus Solanus Ordinis Fra-
 trum Minorum de Observantia. Hic
 Montilæ in Bætica piis parentibus or-
 tus in sacram Fratrum Minorum fami-
 liam adoptatus erat. In ea miris mul-
 tisque severioris disciplinæ, & Chri-
 stianæ humilitatis argumentis eluxit,
 atque assiduæ poenitentiae exercitiis in-

Sæc XVIII. tentus, sacris Concionibus plurimos
 A. C. 1726. Christo lucrificat. Præterea sæva lue
 tabescentes mira charitate adjuvit, ac
 tandem & ipse hac contagione infectus,
 Deique ope sospes redditus, in hoc mi-
 nisterio usque ad lethalis morbi finem
 sese exercuit. Ut vero ejus sanctitatis
 famam deprædicantibus sese subduce-
 ret, martyrii pro Christo subeundi per-
 cupidus in Africam trajicere statuit;
 id tamen cum obtinere haud posset, ad
 remotissimos Indos Verbum Dei præ-
 dicaturus cum aliis contendit, ubi lin-
 guam gentium divinitus edoctus Bar-
 baros deposita feritate, in fidei Catho-
 licæ præceptis instituit, & innumeram
 eorum multitudinem sacro fonte rege-
 neravit: Porro id præprimis mirum
 erat, quod ipse plusquam trigésies mille
 Barbaros, qui Christianis una congregatis
 cruentam cædem allaturi advenerant,
 solo Dei Verbo non modo inermes
 reddiderit, sed etiam ignotæ, diver-
 sæque linguæ homines suo idiomate
 allocutus pacem suaserit, & eorum
 plusquam novem millia ad Christi fi-
 dem converterit. Pari animarum pro-
 ventu, velut alter Jonas, Limanis ex-
 cidium Urbis comminatus, omnes in-
 colas ad seriam pœnitentiam perduxit.
 Tandem maximis pro Dei gloria labo-
 ribus confectus, die decima quarta Julii
 anno

anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo decimo in Cænobio Limano inter pia ad Deum suspiria animam exhalavit. Denique virtutibus ejus & miraculis a S. Sede probatis Clemens X. Solanum Anno 1675. die 24. Januarii Beatis, Benedictus vero hoc Anno die 27. Decembris Sanctis ritu solemniter adnumeravit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Idem honores fuere delati Beato Peregrino Latiofo a Foro-Livii Ordinis FF. Servorum B. M. V. Hic anno a natiuitate Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto Foro-Livii in Æmilia natus, a teneris Deiparæ Virgini speciali studio addictus erat, corrupti tamen sæculi genio deceptus sese civilibus patriæ discordiis & seditionibus involvebat, eo temeritatis prolapsus, ut S. Philippum Benitium a Martino IV. Papa, qui eum ad Liviensem populum conciliandum, eo ablegabat, contumeliis & lapidibus impeteret, atque extra urbem ejectum alapa in faciem impacta percuteret. Verum hoc sancto Deum pro suis hostibus exorante, Peregrinus in viam salutis ab eodem revocatus, Regulæ Fratrum Servorum nomen dedit, novumque plane hominem indutus, diuturnis jejuniis, macerationibus Corpus suum afflixit, atque integros triginta annos nunquam sedens,

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

fedens, sed duntaxat vel parieti vel saxo incumbens quiescere consuevit. Tandem post emensum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, meritis plenus, & sanctimonix laude inclytus die prima Maij Anno 1345. obdormivit in Domino. Eximiiis dein virtutibus & prodigiis sub Paulo V. & Urbano VIII. ad Majorum sanctiones exacte discussis Beatorum Canoni adscriptus est; auctis vero miraculis Benedictus XIII. Eundem die vigesima secunda Decembris in Sanctorum Album retulit. Præter hos etiam Jacobum a Marchia Ord. FF. Minorum de Observantia, Agnetem a Monte Politiano Monialem Ord. Prædicatorum, & Thuribium Archiepiscopum Limanum Sanctorum, & Hyacintham Marefcotti Beatarum Cætui adscripsit.

§. LXIX.

Concordia Papam inter & Sardinix Regem feliciter inita.

*Guarnac.
Hist. Pontif.
t. 2. p. 418.
Epist. Be-
ned. XIII.
ad Regem
die 26. &
1726.*

Jam anno priori retulimus, quanta sollicitudine Benedictus XIII. veterem, quæ Pontifices inter & Victorem Amædæum Sardinix Regem intercesferat, controversiam ad exitum deducere studuerit: nunc tandem de mutuis, quæ

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

quæ hoc anno firmata fuere, concordia pactis agendum superest. Trina potissimum erant diffidii capita, & primum quidem spectabat jurisdictionis extensionem; dolebat enim Rex populos sibi subjectos extra suam ditionem saltem in casu appellationis, eo ex fine avocari, ut causas coram quibusdam Episcopis pendentes prosequerentur: Hujusmodi autem Episcopi erant septem, scilicet Intemelienfis, Albiganensis, Ticinensis, Viglebanus, Savonensis, Novariensis, & Dertusanus. Ut ergo Pontifex hac in re omnem deinceps contentionis occasionem tolleret, triplicem iniit viam, & quidem primo speciale Breve Apostolicum ad omnes hosce Episcopos, annuente Rege, transmisit, quo cautum erat, ut hi Episcopi quosdam eligerent Vicarios Generales in illa parte Diœceseos, qui in rebus tantummodo gravibus, atque in causis criminalibus sententiam non proferrent, inconsulto Episcopo: ceteris vero in rebus libera illis esset jurisdictionis potestas, nec ad Episcopum provocandi jus esset. Alterum huic malo medendi medium erat instructio seu agendi norma, quam cum Regis assensu Pontifex Sacræ Sedis Administris præscripsit in hunc tenorem: *Primo in linea, ut vocant, tolerantia permissum fuit causas beneficiorum,*

Es

Seco. XVIII. *Et decimarum in iudicio possessorio tam A. C. 1726. retinendæ, quam redintegrandæ coram iudicibus Laicis agi posse, reservata Petitorii cognitione Judici Ecclesiastico.*

Secundo. *In linea item Tolerantie permissum est in Bullis Apostolicis, aliisque rescriptis S. Sedis Regium pro executione assensum poni posse, dummodo meram rescripti inspectionem non excedat, quod VISUM vocari solet, nec aliquod decretum, vel Laicæ potestatis disquisitio, quoad illorum executionem intercedat.*

Tertio. *Episcopi præstita Regi obedientia liberum habeant usum Ecclesiasticæ Jurisdictionis. Et pro ea exercenda si assistentia sæculari, vel familia Armata indigeant, illam ab eadem Laicali potestate impetrabunt, quam statim assequuntur contra Ecclesiasticas personas in causis, tam civilibus, quam criminalibus, nullo delinquentis nomine expresso, nec delicti, aut causæ titulo indicato. Si vero in Laicos animadversio dirigatur; & Persona exprimat, & criminis, vel Causæ titulus in materia tam civili, quam criminali.*

Quarto. *Episcopi plenam habeant potestatem visitandi eorum Diœceses, Ecclesias, & loca pia, etiam exempta juxta Concilii Tridentini Decreta.*

Quinto. *Ad normam ejusdem Tridentinæ Synodi abstinebunt Episcopi ordinatione Clericorum ad titulum Patrimonii,*
nisi

nisi necessitate, vel Ecclesie utilitate impel-
lente; sed ordinandorum numerum coarctabunt
juxta numerum Beneficiorum, quatenus
beneficialem congruam attingant.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Tertia demum via, qua Pontifex
litis fomitem sustulit, erat Regia, ut
ajebant, *notificatio*, ad declaranda quæ-
dam Regis edicta Anno 1620. & 1640.
promulgata circa publica vestigalia,
quæ ex Clericorum etiam bonis exige-
bantur. Cum ergo in præfatis edictis
caveretur, ut publica onera bonis af-
fixa cum iisdem, quatenus ad Eccle-
siam devolverentur, pertransirent, hinc
ne una ex parte Immunitas Ecclesia-
stica nimium læderetur, ex altera parte
ex immoderata Ecclesiasticorum exem-
ptione Laici iisdem oneribus persol-
vendis impares essent, Regia *notifi-
catione* declaratum est, quod cum as-
sensu, & intelligentia S. Sedis Bona
Ecclesiasticorum in eodem edicto An-
ni 1620. comprehensa, ad onera ibi
decreta teneantur. Hoc tamen ad-
jecto, quod Patrimonia Sacra usque
adhuc constituta ab iisdem oneribus
omnino exempta sint. Onera vero ab
iisdem Ecclesiasticis debita, & usque
ad hunc diem non persoluta, munifica
Regis venia remitterentur. Hæc e-
rant potissima concordie circa juris-
dictionem, capita, quæ tam Papæ, quam
Regis

Sæc. XVIII. Regis assensu firmata, & postmodum
A. C. 1726. die vigesima quarta Martii anni se-
 quentis subscripta fuerunt.

Alterum contentionis caput verfabatur circa res Beneficiales; cum autem tota hæc controversia ex Nicolai V. Constitutione, cujus supra meminimus, originem duceret, hinc utrinque placuit, ut particulari Patrum Congregationi negotium daretur, & in ea præfatum Pontificis diploma, & præcipue hæc in illo contenta verba: *habitis prius intentione, & consensu ipsius (Sabaudix) Ducis* expenderentur, ac demum dicti Patres *consultive* referrent, utrum hæc verba verum liberumque Juspatronatus inducerent: Constabat hæc Congregatio ex quatuor Cardinalibus, nempe Paulutio, Imperiali, Origio, & Alexandro Albanio, quibus adungebatur Præsul Merlinius Paulutius. Hi ergo post maturam deliberationem declararunt, hæc verba verum Juspatronatus præferre: Postea ulterius quæsitum est, an eadem indulti verba duntaxat ad illam Personam, cui tum hoc diploma concessum fuit, sint restringenda, vel utrum ad quoscunque in Sabaudix Ducatu Successores extendenda? Demum vero disceptatum est, an Pensiones Beneficii in Sabaudia existentibus imponendi jus Pontifici

com-

competeret, & ad quem fructus eorundem beneficiorum vacantium devolverentur? Ad has quæstiones Rex respondit, secum eo prorsus modo agendum, quo cum ceteris Principibus, quibus ejusmodi indulta fuissent concessa, seque nullatenus permitturum, ut beneficia pensionibus gravarentur, aut vacantes beneficiorum fructus Cameræ Apostolicæ applicarentur. Percepto hoc Regis responso multum ultro citroque disceptatum, tandem vero Pontifex pacis cupidissimus Apostolicum Breve die vigesima nona Maij anni sequentis ad Regem dedit, in quo l. declaravit, prædicta verba in Nicolai V. diplomate comprehensa verum Jus Patronatus præferre, secundo, pensionem a Sacra Sede imponendam excedere non posse summam scutorum mille quingentorum, & præprimis pensionem super Lucediensem Abbatiam specialiter esse S. Sedi reservatam. Tertio, fructus vacantes quorumcunque beneficiorum, quæ in Nicolai V. Indulto comprehensa essent, reservandos esse ad commodum earundem Ecclesiarum, & Successorum in illis, sub cura tamen & administratione Oeconomi a Rege nominandi: Fructus vero pendentes, necnon mobilia, aliasque res ab Ant.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Hist. Eccles. Tom. LXXII. B b tecef-

Sæc. XVII.
A.C. 1726.

tecessoribus acquisitas, omnesque tempore eorum obitus exstantes, juxta Regionis consuetudinem legitime inductam conservandas esse. His denuo utrinque firmatis, unica supererat difficultas circa directum Dominium in Abbatiam S. Benigni, necnon super oppidis Cortantiæ, Cortantionis, Montaliæ & Cisternæ. In hæc enim feudam Pontifex, quam Rex dominium seu proprietatem sibi competere propugnabant. Hac super re diu acriterque disceptatum, nihil tamen omnino conclusum, ne vero propter pertinacem de temporali commodo litem fidelium saluti damnum inferretur, aut illarum Provinciarum Ecclesiæ diutius suis Pastoribus orbatæ remanerent, hinc Pontifex unicuique ex his Diæcesibus optimos præfecit Antifites, cunctasque lites, quæ dissidia fovere, ac Religionis incremento adversari videbantur, juxta hujus amicabilis transactionis normam abstulit, ac penitus abolevit. Hæc tamen pax haud diutina fuit; quippe Clemens XII. Benedicti Successor inita hæc pacta revocavit, utpote quæ immodica fuissent, & Sacræ Sedis jura graviter læderent. Soli tamen Benedicto XIV. hanc controversiam extinguendi gloria erat reservata, uti suo loco recensabitur.

§. LXX.

§. LXX.

Sæc. XVIII.

A. C. 1726.

*Varia virtutum specimina, & mira
a Benedicto XIII. perpetrata.*

Hunc Pontificem raræ innocentiae, spectataeque virtutis exemplum extitisse, nemo est, qui negare aufit, nec hanc gloriam Eidem abjudicant ipsimet Ecclesiae Romanæ hostes; tanta nempe est solidæ virtutis vis, ut etiam ab invitis laudis testimonium extorqueat: Præclarius autem ipse Deus famuli sui sanctitatem multis gratiæ favoribus testatam reddidit: Primo enim Pontificatus Anno juxta veterem Ecclesiae morem Benedictus cerea sacrabat numismata, quæ vulgo *Agnus Dei* vocantur; ex his non raro prodigia divinitus fuisse facta testantur Auctores gravissimi, omnique fide digni (*). Præprimis enim die septima Augusti exorto incendio in Oppido Cotoneni quidam Sacerdos nomine Angelus Belloni ejusmodi numisma in ignem, quo tota Antonii Sanarici domus absumenda credebatur, conjecit, ac illico incendium, cunctis admirantibus

Bb 2

ex-

(*). Joan. Andr. Tria Episcopus Larinæus in vita Benedicti XIII. Adde, ad Platinam Tom. II. p. 185. aliique.

Sæc. XVIII.
A. C 1726.

extinctum est. Referunt etiam Scrip-
tores Romani, quod idem Pontifex
nil frequentius habuerit, quam ut No-
focomia aliaque pia Urbis loca diætim
inviseret, ægrotis ac pauperibus sola-
men afferret, & nonnunquam eisdem
sanitatem prodigiose redderet: Virum
enim, qui mortem nonnisi pedis ab-
scissione effugere poterat, solo contactu
ac benedictione ad pristinam sanitatem
reduxit, & mulieri jam dudum usu
oculorum destitutæ videndi vim reddi-
dit: sub idem quoque tempus Dominici
Grozatri Filio, qui altero pede claudus
erat, gressum Mense Novembri resti-
tuit, & in oppido Montis rubei a dæ-
mone obsessum liberavit: Illis etiam
rebus, quas hic Pontifex vel benedi-
cebat, vel ipse gestabat, non raro sa-
nandi vis inerat; quippe Romana quæ-
dam Matrona, dum Rosarium ab ipso
paulo ante benedictum pectori admo-
veret, a diuturno non minus ac peri-
culoso morbo convaluit, & Nobilis
quidam Mediolanensis ab acutissimis
capitis doloribus imposita, quam hic
Pontifex gestabat, vitta liberatus est.
Occurrunt plura alia, quæ Deus per
fidelem Famulum suum mira operatus
est, quæ tamen fusius recensere præ-
termittimus, partim ne S. Sedis judi-
cium prævenire videamur, partim ut
obser-

III. observantia & reverentia, qua par est, Sæc. XVIII.
 decreto Urbani VIII. Papa die 13. Mar- A. C. 1726.
 ti Anno 1625. insistamus. Ceterum
 id saltem sine omni dubitatione affir-
 mandum est, quod hic Pontifex nullam
 omnino prætermiserit occasionem, qua
 suam æque ac proximi salutem piis
 exercitationibus promovere posset, præ-
 cipue vero erga egenos beneficium sese
 exhibuit, & quicquid pretiosum ei un-
 quam dono fuerat datum, vendi, &
 pecunias inde haustas in pauperes di-
 stribui jussit, ægrotis quoque in Noso-
 comio ad S. Mariam languentibus una
 die quadraginta lectos sat commodos
 subministravit. Nulla sane præterflu-
 xerat dies, in quo Benedictus nova
 suæ pietatis monumenta edere negle-
 xisset, semper vel maxime in id in-
 tentus, ut populum sibi creditum om-
 nibus charitatis officiis complecteretur.

§. LXX.

*Ejusdem summi Pontificis Constitutio-
nes & decreta.*

Hoc item anno idem Pontifex salu-
 berrimas condidit leges, quibus
 partim collapsa Ecclesiæ disciplina in-
 stauraretur, partim Dei cultus & San-
 ctorum honor magis magisque promo-
 veretur: Præprimis igitur die duode-

Bb 3

cima

Sæc. XVIII. **A. C. 1726.**
 cima Januarii indulgit, ut omnes Sa-
 cerdotes, qui quascunque tam mitigati
 quam reformati Carmeli Ecclesias in
 festo S. Theresiæ accedunt, Missam pro-
 priam de eadem sancta Virgine dicere
 valeant: Die autem decima quinta Apri-
 lis statuit, ut Officium S. Vincentii Fer-
 reri die quinta Aprilis, & B. Mariæ
 de Monte Carmelo imposterum die de-
 cima sexta Julii quotannis ab omnibus,
 qui ad horas Canonicas tenentur, sub
 ritu duplici majori recitaretur. Quo-
 niam vero idem Pontifex summa pie-
 tate erga Rosarium B. V. Mariæ fervebat,
 ut adeo Ecclesiæ utilis atque perantiqua,
 „Deoque accepta devotio in cuncto
 „Christiano populo magis magisque
 „augeretur & propagaretur, audito voto
 „Sacrae Congregationis Indulgentiis
 „Sacrisque Reliquiis præpositæ, omni-
 „bus utriusque sexus Christifidelibus
 „ROSARIUM vel saltem tertiam Partem
 „ejusdem devote recitantibus, pro
 „qualibet Oratione Dominica, & pro
 „qualibet Salutatione Angelica Indul-
 „gentiam centum dierum concessit:
 „Recitantibus vero quotidie per inte-
 „grum Annum idem ROSARIUM vel
 „pariter saltem ejus tertiam Partem,
 „si confessi ac Sacra Communione re-
 „fecti fuerint, & pro Christianorum
 „concordia, hæresum extirpatione, ac
 sanctæ

„sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione
 „oraverint, semel in Anno, die ab
 „unoquoque eligenda, insuper concessit
 „Indulgentiam Plenariam, etiam cum
 „facultate applicandi defunctis: de-
 „claravit tamen Sanctitas sua, ut, ad
 „effectum lucrandi prædictas Indul-
 „gentias, requiratur, ut ROSARIUM
 „fuerit de more benedictum a Fratri-
 „bus Ordinis Prædicatorum. „

Præterea Pontifex die prima Julii
 præcepit, ut in posterum Festum S. Phi-
 lippi Nerii die vigesima sexta Maij Ro-
 mæ & in ejus districtu ab omnibus,
 sicut alia festa de præcepto celebraren-
 tur, & utrumque Altare, ubi asserva-
 tur incorruptum ejusdem Sancti Cor-
 pus quotidie & perpetuo esset privile-
 giatum, hocque Sacellum visitantes ac
 vere poenitentes in perpetuum frueren-
 tur illis indulgentiis, quas fideles S. D.
 nostri Jesu Christi sepulcrum, & cetera
 sacra Terræ sanctæ monumenta visi-
 tantes consequuntur. „Pariter die de-
 „cima quarta Septembris Pontifex ad
 „humillimas preces Capituli & Cano-
 „nicorum Basilicæ Lateranensis, ut
 „novæ Consecrationis ejusdem Basi-
 „licæ, quam Sanctitas sua die decima
 „octava Aprilis currentis Anni solemniter
 „pergit, Memoria in posterum re-
 „colatur, benigne indulget atque con-

B b 4

„cessit,

æc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc. XVIII. „cessit, ut in festo dedicationis illius
 A. C. 1726. „die nona Novembris, sextæ lectioni
 „secundi Nocturni sequentia verba ad-
 „dantur, videlicet; *Eandem* Ecclesiam
 „incendiis, Vastationibus, Terræ in-
 „super motibus disjectam, everfam-
 „que, ac sedula summorum Pontifi-
 „cum cura reparatam, nova postmo-
 „dum molitione restitutam Benedictus
 „decimus tertius Pontifex Maximus,
 „Ordinis Prædicatorum, die vigesima
 „octava Aprilis Anni millesimi septin-
 „gentesimi vigesimi sexti ritu solemn-
 „consecravit, ejusque celebritatis Me-
 „moriæ hac die recolendam statuit. „

Hoc item anno literas Apostolicas
 vulgavit, quibus universo Orbi testa-
 tum reddidit Sanctorum honores pu-
 blice decretos esse B. Stanislao, Aloy-
 sio, Joanni a Cruce; Francisco Solano,
 Peregrino, Jacobo de Marchia, Agneti
 de monte Politiano, Thuribio & B.
 Hyacintæ de Marescottis. Hoc idem
 festum Dedicationis die nona Novembris
 Pontifex ab universo Clero sub ritu
 duplici secundæ classis cum octava
 quotannis in Romano territorio cele-
 brari mandavit. Denique die decima
 nona Decembris in lytaniis majoribus
 post nomen S. Joannis Baptistæ addi
 voluit hæc verba: *S. Joseph, ora pro no-*
bis. Eodem hoc anno Cardinales Ru-
 fus

fus & Coscia summo Pontifici gravibus oppido verbis exponebant, haud levia in Ecclesiam damna redundare ex variis favoribus & gratiis, quæ vulgo *Surviventiae*, *Expectativæ*, & *Coadjutoriae* vocantur: Eapropter Pontifex remature ponderata non modo præfatas gratias, sed etiam illas, vi quarum tam in civili quam Militari statu jus in officia primum vacatura tribuitur, una omnes Mense Julio penitus abrogavit, nullasque esse decrevit. Die autem decima quarta Februarii sublata veteri contentione declaravit, quod Fratres Minores Ord. S. Francisci de Observantia ubique tam in processionibus, quam in aliis publicis & privatis actibus & functionibus præcedant omnes Fratres reformatos Ministro Generali subjectos, etsi hi in aliquibus Conventibus priores fundatione fuerint, quam Fratres de Observantia. Exorta alia ejusmodi controversia idem Pontifex die vigesima quarta Maij & die nona Julii decidit, quod Tertiarii Fratrum Minorum Conventualium & Capuccinorum, ubicunque existant, a Ministro Generali dependeant, iisdemque fruantur privilegiis & indulgentiis, quæ ceteris ejusdem Ordinis Tertiariis collatæ fuerunt. Cum vero quædam ex Ecclesiis, quas vocant *Vicarias*,

Sæc. XVIII.

A. C. 1726.

Sæc. XVIII. *rias*, congrua caruissent sustentatione,
 A. C. 1726. hinc Pontifex die vigesima Julii uni-
 cuique annuam pecuniæ summam ex
 ærario Apostolico assignavit. Præcepit
 insuper die vigesima secunda Januarii,
 ut omnes FF. Eremitæ S. Augustini
 Discalceati inter se uniformitatem in
 Cantu Gregoriano, rasura, & Caputio
 rotundo servarent. Ut autem justitia
 exactius administraretur, & litigantium
 præsertim pauperum utilitati prospicia-
 tur, statuit die quarta Februarii, ut
 imposterum quidam Cardinalis, cujus
 officium integro perduret decennio,
 omnium Caussidicorum. & Notariorum
 archiva, & forenses Curias visitet:
 Quoniam vero ex Religiosis quidam po-
 tentiorum favore suffulti ad alias Re-
 ligiones laxiores trauseundi faculta-
 tem extorsissent, hinc Pontifex die de-
 cima tertia Februarii inhibuit, ne Or-
 dinum Regularium Professi transeant
 ad Ordinem, in quo regulæ ris & clau-
 stralis observantia non viget, minus
 vero transmigrant ad Ordines milita-
 res, & Hospitalarios, in quibus pariter
 regularis non floret observantia, si ta-
 men secus fecerint, ejusmodi transitus
 nullus atque invalidus sit.

Porro innotuerat summo Pontifici,
 quod Franciscus Antunas Torres in op-
 pido de Guimarens Bracharensis Diæ-
 celis

celsis in Lusitania Anno 1685. quoddam
 Virginum in communi viventium, ut
 vocant, *Conservatorium* suo ære erexit.
 Hæ autem biennio vix evoluto Insti-
 tutum Ordinis Fratrum Carmelitarum
 Tertii Ordinis, annuente Ordinario,
 susceperint, & Jurisdictioni ac Re-
 gimini P. Antonii ab Incarnatione tum
 dicti Ordinis Commissarii Generalis sese
 subjecerint, & per plures annos Deo
 juxta Instituti sui normam summa Re-
 ligione deservierint. Postquam vero
 Pius V. edita Constitutione præcepe-
 rat, ut Virgines in ejusmodi Conser-
 vatoriis degentes aut solemnem Pro-
 fessionem emitterent, aut ejusmodi
 Conservatoria dissolverentur, hinc præ-
 fatæ Tertiariæ Anno 1704. solemnem vo-
 torum sponcione Deo sese consecrarunt;
 quocirca a Jurisdictione Episcopali
 exemptæ, a Superiori Generali dicti
 Ordinis usque ad annum Domini mil-
 lesimum septingentesimum septimum
 pacifice regebantur. Hoc autem anno
 acciderat, ut Bracharensis Archiepi-
 scopus, & præfati Oppidi Parochus
 varias eisdem lites moverent, eo sub
 prætextu, quod dictæ Virgines Pa-
 schale Sacramentum ab hoc Parocho
 non suscepissent, cum tamen ipsæ nec
 vere Moniales, nec a Jurisdictione Or-
 dinarii exemptæ essent. Recurrunt
 qui-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

quidem afflictæ ad Lusitanum Sedis Apostolicæ Nuntium, a quo etiam in libera exemptionis possessione servari impetrarunt. Ast Archiepiscopus tanto acrius sese illis opposuit, caussatus, quod hoc Conservatorium sine Sedis Apostolicæ licentia, & absque Ordinarîi consensu in Monasterium fuisset erectum, proin hæ Virgines, utpote nulliter professæ adhucdum illius jurisdictioni subjectæ remanerent. Re Romam delata ac serio perpensa, Pontifex die tertia Augusti declarabat, quod quamvis hoc Conservatorium ab Anno 1704. legitime in Monasterium fuisset erectum. in eoque Moniales *Deo Altissimo famulatum exhibentes in Divinit laudabiliter hætenus deservissent, ac etiamnum deserviant*, nihilominus, ne de legitima illius erectione & institutione imposterum controversia moveri posset, tam hanc, quam illam auctoritate Apostolica approbet, & confirmet, omnesque Moniales ibidem existentes, & exituras ab omni jurisdictione Parochi perpetuo eximat, & Superioribus Ordinis Carmelitani pleno jure subjiciat.

Insuper idem Pontifex sese Fratribus Ordinis Servorum B. V. M. oppido propitium exhibuit; cum enim eorum Procurator Generalis exponeret, quod hujus

hujus Ordinis Tertiariæ a locorum Ordinariis, qui eas suæ Jurisdictioni sub-
 jicere moliebantur, haud levibus molestiis ac vexationibus affligerentur, die octava Augusti Benedictus XIII. suam, quam Anno 1725. die 10. Decembris ediderat, Constitutionem ad has quoque Tertiarias gratiose extendit, voluitque, ut hæ ab Ordinariorum Jurisdictione eximerentur, & suo Generali omnino subjectæ essent. Insuper eadem die benigne indulgit, ut deinceps unus ex hoc Ordine Religiosus semper in Congregatione Sacris ritibus præfixa Consultoris locum & officium haberet.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1726.

§. LXXII.

Warmiensis Synodi Diœcesanæ decreta.

Hoc item anno Christophorus Joannes Comes in Slupow Szembeck Warmiensis Episcopus Synodum Diœcesanam in Heilsbergensi Ecclesia celebrare constituit. Huic initium dabat die decima quarta Julii, in præfato Archipresbyterali Templo congregatos his verbis allocutus.

Concil. German. t. 10. pag. 429.

„Pastorali officio, quantum in Domino possum, satisfacere volendo, congregavi præsentem Generalem statum

„tus

Szc. XVII. „tus nostri spiritualis, Diæcesis mihi
A. C. 1726. „concreditæ Synodum, sincero animo,
 „atque vehementi desiderio adaugendi
 „cultus divini, confirmandæ, & eoma-
 „gis stabiliendæ Disciplinæ Ecclesiæ,
 „atque exponendæ obligationis Recto-
 „rum, quibus incumbit cura anima-
 „rum. „

„Quale vero sit hoc officium, æ-
 „terna Veritas Divino suo effato in
 „sacris Literis expressit, binum nempe:
 „Virtutum, amoris Dei, & proximi com-
 „mendans exercitium. Hic etenim
 „Dominus, & Salvator noster, Fratres
 „charissimi, aliquando nos sermonibus,
 „aliquando operibus admonet attestante
 „Divo Ecclesiæ *Doctore Gregorio Ma-*
 „*gno*: Ecce enim binos in prædicatio-
 „nem discipulos misit, quia duo sunt
 „præcepta charitatis, *Dei* videlicet
 „*amor, & proximi*. In his duabus vir-
 „tutibus, exinde vero plurimis succre-
 „scentibus, consistit vis vocationis no-
 „stræ, & qui has non habet, Eccle-
 „siastici honoris & operis partes nulla-
 „tenus suscipere debet. Amoris effe-
 „ctus describendo, vas electionis S. Pau-
 „lus Apostolus Prædicator veritatis in
 „universo mundo ait: *Charitas non æ-*
 „*mulatur, non agit perperam, non inflatur,*
 „*non est ambitiosa, non quærit, quæ sua*
 „*sunt,*

*sunt, non irritatur, non cogitat malum, Sæc. XVIII.
non gaudet super iniquitate, congaudet au- A. C. 1726.
tem veritati, omnia suffert, & sustinet.*

„His virtutibus amoris Dei & pro-
„ximi optime instructi sancti Apostoli
„peragrarunt universum mundum &
„lumen verum fidei eidem intulerunt.
„Hos secuti zelantissimi Antistites &
„indefessi in Vinea Domini plurimi Ope-
„ratores, ex amore Dei & proximi tam
„cruore proprio, quam exemplo sancti-
„tatis vitæ, immarcessibiles quoad ani-
„marum salutem produxerunt fructus.
„Eks & Vos in hoc numero perillustres,
„admodum Reverendi, Clarissimi, Fra-
„tres in Christo dilectissimi in partem
„solicitudinis nostræ vocati: satagite
„itaque quam diligentissime munus
„vestrum implere, attendendo, ne un-
„quam falsa doctrina & pravi errores
„quoad fidem S. Catholicam Romanam
„irrepere possint, & dum, ubi amor
„est, labor non est, ac iste verus, ti-
„mere nunquam potest, serena fronte
„& amore Dei ardua quævis suscipite
„in adaugendo cultu ejus, ex amore
„proximi mente ferventi & compatienti,
„vota & desideria præsertim in spiri-
„tualibus necessitatibus gregis vestri
„exaudite, hunc salubri esca, & verbo
„Dei, Sacramento sanctissimo Euchari-
„stie cum explicatione sacræ Scripturæ;
„simul-

Sæc. XVIII. „simulque adductione exemplorum
 A. C. 1726. „vitæ Sanctorum & Sanctarum Deo
 „frequenter pascite, viam mandato-
 „rum Domini suaviter inculcate, &
 „docete, securum quoque iter ad cæ-
 „lestem patriam demonstrate. Sua fa-
 „ciendo, volente & exigente Evange-
 „lio hodiernæ Dominicæ diei, abun-
 „dabit Justitia vestra, & intrabitis in
 „Regnum Cælorum, ibique juncti cho-
 „ris Angelorum cum ovibus vestris
 „Deum ter Optimum Maximum in æ-
 „ternum laudabitis, quod ipse Nobis
 „omnibus Clementissime concedere
 „dignetur. Fiat, fiat.,

Absoluta hac oratione de conden-
 dis decretis agebatur, quæ triginta
 tribus titulis continentur, jam in præ-
 cedentibus Synodis stabilita, nunc
 vero firmiter inculcata. Præprimis au-
 tem monentur Parochi, ut Capellanis
 ac Beneficiatis fraternam charitatem,
 hi vero illis debitam exhibeant reve-
 rentiam, memores illius asserti: *parce
 minori, cede majori.* Cunctis vero Pa-
 rochis serio inculcatur, ut Catholicis
 inter hæreticos agentibus, necnon
 pauperibus in Nosocomiis Sacramenta
 omni possibili modo administrari cu-
 rent, & ne quidem sponte oblata re-
 cipiant. Postea Synodi Patres juxta
 decretum Innocentii X. pro Polonia
 ema-

emanatum prohibuere, ne quis sive Sæc. XVIII.
 sæcularis, sive Regularis absque Epi- A. C. 1726.
 scopi licentia, Processiones cum San-
 ctissimo instituere præsumat, præter-
 quam in Festo & per Octavam Corpo-
 ris Christi, & in festo Patroni Ecclesiæ.
 Præterea injunxere Parochis, ut to-
 tum Catechismum in concionibus suis
 per annum, ea methodo, quæ in Rud-
 niana Constitutione præscripta fuisset,
 percurrerent, & quantocius publicam
 facerent suo gregi sequentem Constitu-
 tionem Benedicti XIII. die 14. Sept.
 Anno 1724. promulgatam:

„Injunctæ nobis divinitus Apосто-
 licæ servitutis ratio postulat, ut cæ-
 lestium munerum thesauros dispen-
 sationi nostræ a Domino creditos, fi-
 deliter erogemus, cum id ad agen-
 dam in terris Beatissimæ, atque Au-
 gustissimæ cæli Reginæ Virginis Dei-
 paræ Mariæ Patronæ & Advocatæ
 nostræ venerationem, excitandamque
 & confovendam erga illam fidelium
 devotionem, ac ad animarum salu-
 tem speramus in Domino profutu-
 rum. Itaque de Omnipotentis Dei
 misericordia, ac Beatorum Petri &
 Pauli Apostolorum, ejus auctoritate
 confisi omnibus & singulis Christi-
 fidelibus vere pœnitentibus & con-
 fessis, ac sacra Communionem refectis,
 Hist. Eccles. Tom. LXXII. C c qui

Sæc. XVIII. „qui mane aut meridie, seu vespere,
 A. C. 1726. „ad pulium campanæ, Angelus Do-
 mini nuntiavit Mariæ & concepit de spiritu
 Sancto. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi
 secundum verbum tuum. Verbum caro
 factum est & habitavit in nobis, cum*
 „tribus *ave Maria* flexis genibus de-
 „vote recitaverint, & pro Christiano-
 „rum Principum concordia, hæresum
 „extirpatione, ac sanctæ Matris Eccle-
 „siæ exaltatione pias ad Deum preces
 „effuderint, plenariam in uno die cu-
 „juslibet mensis duntaxat per unum-
 „quemque Christifidelem ad sui libitum
 „eligendo, lucrificandam, omnium
 „peccatorum suorum indulgentiam &
 „remissionem misericorditer in Domino
 „concedimus: In reliquis vero anni
 „diebus iisdem Christifidelibus vere
 „contritis, quoties id egerint, centum
 „dies de injunctis eis, seu alias quo-
 „modolibet debitis pœnitentiis in for-
 „ma Ecclesiæ consueta relaxamus.
 „Præsentibus perpetuis futuris tempo-
 „ribus valituris. Volumus autem, ut
 „earundem præsentiarum literarum
 „transumptis, seu exemplis etiam im-
 „pressis manu alicujus Notarii publici
 „subscriptis, & sigillo personæ in Ec-
 „clesiastica dignitate constitutæ muni-
 „tis, eadem prorsus fides utrique
 „habeatur, ac si forent exhibitæ, vel
 „ostensæ. „ In-

Insuper eadem Synodus alia quam plurima prorsus saluberrima condidit decreta, quæ omnia Episcopus Heilbergæ typis mandari curavit: Porro absoluta hac Synodo Michael Remigijs Laszewski Warmienſis Cuſtos & Synodi Promotor Episcopalis die 15. Julii totius Diœceſis nomine debitas huic Episcopo rependit grates, in hunc modum præfatus:

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

„Gratulata nuper est ſibi Varmia in-
„greſſum tuum, Princeps celſiſſime,
„quia ſub auspicijs, & regimine tantæ
„dignitatis, tantique nominis Principis
„magnam ſibi ominabatur felicitatem.
„Magis imo maxime nunc Celſitudi-
„nem Veſtram ſibi gratulatur, uti non
„tantum rariffimarum virtutum Domi-
„num, Principem & magnanimum
„Provinciæ iſtius deſenſorem, ſed quod
„ſummum eſt, Paſtorem Evangelicum
„ſe inveniffe recognoſcit. Plurima
„tranſierunt luſtra, plures Olympiades,
„ex quo Varmia habuit Principes non
„tantum æque Paſtores, qui ovibus
„ſuis panem frangerent, & vitiorum
„meandros præſcinderent, ac provi-
„derent: ades tandem exoptatiſſimus,
„Princeps Celſiſſime, qui Varmiæ deſi-
„deria, & noſtrum omnium complecteris
„vota. Synodum hanc totam vides
„in Domino exultantem, & præ ſum-

Sæc. XVIII. „mo gaudio in auspiciis episcopion
 A. C. 1726. „erumpentem: Vivat Christophorus,
 „vivat Princeps, vivat Pastor Pasto-
 „rum gregis Dominici in Varmia. Sed
 „quæres, Princeps Celsissime, cur om-
 „nes Celsitudini tuæ dicamus: vivat?
 „Vivas! quia dispersa collegisti, con-
 „fracta solidasti, disjuncta adunasti;
 „dispersa collegisti sanctis in hac Synodo
 „sancitis legibus, confracta solidasti præ-
 „ceptis & monitis, disjuncta adunasti
 „charitate & Pastoralis exemplo. Hæc tua
 „facta loquetur ætas, testabuntur fasti,
 „sæcula mirabuntur, Patres narrabunt
 „filiis, & nepotibus, nos interim dum
 „aliud non valemus pro Paterno Zelo,
 „labore & patientia Principi & Patri
 „optimo, Pastori & Præsuli vigilan-
 „tissimo præter cordiale longevæ confer-
 „vationis & felicissimorum successuum
 „votum, æternas litamus & dicimus
 „grates & gratias.,

§. LXXIII.

*Christiani in Regno Tunchino dire
vexati.*

Recruduit hoc anno ferme ubique in
 Christianos persecutio, eaque pro-
 fus immanis: Præprimis enim Muley-
 Ismael Marochii Rex, postquam rebel-
 les suos subditos ferro edomuerat, ra-
 biem

biem suam in Christianos effudit, plurimosque partim misera servitute partim carceris squalore, aliisque cruciatibus dire afflixit. Longe crudelius habebantur Maquinesæ, quæ est Regni Metropolis, Viri Apostolici ex Ordine S. Francisci ibidem in suo Conventu agentes: In hos enim inveterato odio ferebantur Sacrificuli, eo quod jam Anno 1220. hi Religiosi fidei lucem primi ibidem effudissent atque Evangelium palam ac intrepide prædicassent, quorum postea successores plantatam suis sudoribus fidem, fuso etiam sanguine rigaverant. Percutiendi ergo erant tam vigiles Pastores, ut eo facilius una omnes dispergerentur oves; solita tamen Barbarorum astutia querendus erat crudelitatis prætextus, ne illi, quos luculento fidei odio trucidare decreverant, martyrii gloria insignes celebrarentur: Fingebant igitur, atque in vulgus spargebant, quosdam perpetuæ servituti mancipatos ad horum Patrum ædes confugisse, hosque illis evadendi opportunitatem fecisse: Hoc obtentu freti, velut rabidi canes in Conventum irruunt, obvios quosque verberibus sædum in modum afficiunt, & nulla tormentorum vi prætermissa immaniter jugulant: Lusitanos quoque, quos captivos tenebant, promissis,

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Sæc XVIII. missis, minisque ad defectionem solli-
 A. C. 1726. citabant, Christum vero palam con-
 stanterque profitentes, crudelissime
 enecabant.

Nullum pariter sibi a cæpta vexa-
 tione otium dabant Sineses Manda-
 rini; horum enim impulsu Christiani in
 carceres & vincula coniecti misere con-
 tabescebant, Missionarii vero in exi-
 lium pulsi variis, iisque acerbissimis
 ærumnis conficiebantur: Regii etiam
 Principes Sunici, eoquod fidem Ca-
 tholicam mira animi constantia profi-
 terentur, in varias Provincias abripie-
 bantur, eorumque singuli prægravibus
 novem catenis e collo pendulis onusti
 in varios ac teterrimos carceres com-
 pingebantur. Ex his Christianis He-
 roibus tres hoc anno ergastuli squa-
 lore consumpti animam Deo reddidere,
 sequenti autem anno pariter Josephus
 Princeps ob vitæ sanctitatem, & in-
 victam in fide constantiam præclarus,
 inter tormenta & vincula pie obiit,
 dum interim plurimi alii per Imperium
 dispersi haud minora Christianæ forti-
 tudinis specimina ediderunt.

Sævior erat persecutio, qua Chri-
 stiani in Regno Tunchino vexabantur,
 Florebat ibidem per plurimos annos
 Religio Catholica, sub cuius vexillo
 militabant plusquam ducenta Christia-
 norum

norum millia: Attamen tam fœcunda Sæc. XVIII.
 fidei messis graviter torquebat sempiternum ac infensissimum humanæ salutis hostem, qui prostitutæ mulieris ministerio usus, agrum Dominicum tot Martyrum sudore ac sanguine rigatum penitus ferme devastavit. Hæc paulo ante Christianorum quidem cætui per sacrum Baptisma inferebatur, ast nefandis sceleribus, & publico corporis quæstu omnia honestatis pudorisque repagula tam procaciter perfregit, ut Missionarii, ne diutius morum contagione & exempli pravitate Christiani perverterentur, eam sæpius, frustra tamen admonitam castigare, eique Sacramenta denegare necessarium ducebant: Illa vero correctionis impatiens, gravique ira exæstuans, vindictam exerere, & simul scelerum impunitatem assequi moliebatur. Ergo accitis paris nequitie Viris qua gentilibus qua apostatis Christianos, & præcipue Missionarios apud Pro-Regem falso insinulat, quod suppressa Majorum Religione, contemptisque diis Tutellaribus recens inventam, peregrinam, & patriis legibus adversam fidem in Universum Regnum contra Regum edicta inveherent, dirutisque fanis nova suo Deo Tempa passim erigerent, & multa hominum millia ad suæ sectæ ritus blanditiis,

Sæc. XVIII. ditiis, promissis imo & minis adige-
 A. C. 1726. rent, ni ergo ocyus malo jam latius
graffanti occurreretur, timendum esse,
 ne Europæi sub specioso propagandi
 Evangelii obtentu veterem Regiminis
 normam everterent, & tandem totum
 Regnum sibi vendicarent. Malignis
 hisce suggestionibus & calumniis Pro-
 Rex pronas adhibuit aures, moxque
 Mandarinos satellitibus stipatos quaqua-
 versum emisit, qui in Christianos in-
 quirant, & obvios quosque mactent ac
 perdant: Trucidantur ex Missionariis
 non pauci, alii mortem exilio redi-
 munt, alii carceris squalore variisque
 ærumnis confecti extinguuntur, reliqui
 ex speluncis suis, in quibus primo fu-
 rori se subdixerant, sensim prorepentes,
 noctu Christianos visitant, solan-
 tur, ac in fide consolidant, alios de-
 nique Martyrum constantia animatos
 ad detestandum idolorum cultum per-
 ducunt; ex quibus non pauci, cum
 fidem cultumque Christo Domino re-
 nuntiare abnuerent, variis suppliciis
 excruciiati. capitis poena, alii exilio
 mulctati sunt. Non deerant tamen,
 qui tormentorum immanitati succum-
 bentes a suscepta fide deficerent: ast
 mox poenitentia ducti ultro sese tor-
 mentis offerebant. Hæc vero Christia-
 norum constantia adeo Mandarinos ad
 mise-

miserationem non moverat, ut potius Sæc. XVIII.
 inde magis exacerbati Pro-Regem im- A. C. 1726.
 pellerent, ut publico edicto Catholi-
 cam Religionem a toto Regno pro-
 scribi, & Tempia funditus everti ju-
 beret, præcipue vero omnes Christi
 Cultores nulla ætatis aut sexus vel
 conditionis habita ratione trucidari
 mandaret: In exequendo ferali hoc
 mandato nimium fideles erant iniqui-
 tatis Ministri, qui in Christianos & vel
 maxime in Sacerdotes impotentius
 tumultuabantur, & quoscunque casus
 & fors in manus dederat, in carceres
 detrudebant, alios catenis onerabant,
 alios equleis suspendebant, & vix non
 omnes sensim atrocissimis tormentis
 crudelissime mactabant.

Sub idem quoque tempus in Co-
 cincinæ Regno pari inhumanitate sæ-
 vitum est in Christianos: His enim in-
 sensissimus quidam Mandarinus Anso-
 tus nomine, Regem impellebat, ut
 fidem Catholicam omnibus interdice-
 ret. Edito igitur decreto Christiani
 horrendis pœnis subjiuntur, Missio-
 narii ad palos alligati lento igne as-
 fantur, Nobiles servili Elephantum
 obsequio mancipantur, ceteri vero se-
 cum benigne actum credebant, cum
 in ergastula coniecti, ac catenis onusti
 vitam inter gemitus & suspiria trahere

Sæc. XVIII. permitterentur. Tandem vero Deo
 A. C. 1726. propitio inter medias calamitatum ne-
 bulas levaminis spes affulsit; hoc enim
 anno Rex juratus Christiani nominis
 hostis subita morte vivis ereptus est,
 relicto Filio Regni Successore, qui pri-
 mævo naturæ beneficio mitiorem in-
 dolem nactus, Patris sui sævitiam de-
 testabatur. Primo igitur Regiminis
 anno Ansatum, qui unica erat vexa-
 tionum origo atque incentor, capite
 plecti iussit, dein acta & decreta Patris
 sui rescidit, Ecclesias restaurari per-
 misit, & captivos libertati restituit:
 demum vero Missionarios eo vocatos
 insigni benevolentia ac honore excepit,
 eosque novis privilegiis auxit: Accessit
 denique ad spei ac solatii cumulum,
 quod ipsamet novi Regis Mater agnita
 veritatis luce palam in Christianorum
 Templo Baptismatis fonte abluta fuerit,

§. LXXIV.

*Principes atque Illustres hoc anno
 defuncti.*

Inter Ecclesiasticos, qui hoc anno de-
 cessere, primus occurrit Constanti-
 nus de Butler Princeps & Abbas Ful-
 denfis, Galliæ & Germaniæ Primas &
 Imperatricis Archi-Cancellarius, qui
 Vienna, ubi in caussa contra quemdam
 Saxo-

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

Saxonizæ Principem acta Cæsareo decreto victor evasit, Domum reversus, paucas duntaxat hebdomadas adhuc vixerat, cum repente catharo suffocatus, decederet, annos natus quadraginta septem: Princeps erat doctrina, eruditione & pietate præstans, atque eximius Literatorum fautor: Successorem habuit die octava Aprilis electum Rudolphum de Dahlberg Cellensem Præpositum. Paulopost vitam quoque unacum Tiara posuit Joannes de Herrera Episcopus Seguntinus & Consilii Castiliani Gubernator, quem pari fato sequebatur Pater Manara Bobiensis Episcopus.

Hunc quoque annum vitæ suæ postremum habuit Maximilianus Emanuel Bavarizæ Dux, & S. R. J. Elector. Hic, Boicus sui ævi Salomon dictus, dubium reliquit, an a scientiarum laureis, vel a victoriarum trophæis plus gloriæ tulerit. Annum ætatis suæ agebat decimum quartum, cum in Ingolstadiensi Academia disciplinis & artibus tanto Principe dignis vacaret, tam felici progressu, ut nemini vel in scholis vel in castris palmam cederet; in prima enim expeditione Donawerthanos tum Deo & Cæsari rebelles feliciter domuit, dein pari successu Lincenses Colonos, quos Lutheri doctrina

fero-

Sæc. XVIII. ferociores, promissumque a Bohemis
 A. C. 1726. Protestantibus auxilium audaciores
 reddiderat, internecina clade fudit,
 perruptis claustris, effractisque cate-
 nis, quibus seditiosi Danubium utro-
 que ex littore clauferant. Magis ta-
 men amplum triumphi campum ape-
 ruit Maximiliano expeditio Turcica;
 primo enim in liberanda Viennensi
 Civitate Poloniæ Regi sociam junxit
 operam, & Strigonium, munitissimum
 Hungariæ oppidum, necnon Neosolium
 assultu cepit. Continuato demum vi-
 ctোরiarum cursu ipse inter primos mi-
 litem Cæsareo-Boicum ad acerrimam
 Budensis Urbis irruptionem duxit, &
 post pervicacissimam obsessorum defen-
 sionem gloriose expugnavit, hancque
 victoriam hostili sagitta læsus suo san-
 guine invictus Heros obsignavit. Dein
 fortunam ubique habebat pedissequam,
 nunquam magis gloriosus, quam dum
 ipsam fortunæ instabilitatem, iram &
 odium æquo non minus quam invicto
 tulit animo; quamvis enim post infau-
 stum Höchstadiense prællum non modo
 e Boicis Provinciis, sed & ex Belgio,
 cui vicaria potestate præerat, profugus
 in Galliam secedere cogeretur, his ta-
 men omnibus injuriis ac calamitatibus
 longe superior stetit immotus virtutis,
 non fortunæ cliens. Tandem vero red-
 dita

dita pace Maximilianus in integrum Sæc. XVIII.
 restitutus, reliquos vitæ dies suæ sa- A. C. 1726.
 luti, suorumque utilitati sacrabat, re-
 pentino tamen morbo correptus, die
 vigesima sexta Februarii Monachii ani-
 mam Deo reddidit, ætatis anno sexa-
 gesimo quarto, Regiminis quadragesi-
 mo septimo. Eandem æternitatis viam
 Viennæ ingressus erat die vigesima
 septima Julii Maximilianus Guilielmus
 Dux Brunsvicensis, Georgii I. Angliæ
 Regis Frater, qui Catholicam Reli-
 gionem amplexatus, Viennam conces-
 sit, ac primo Veneti, postea Cæsarei
 exercitus Imperator insignia prorsus
 tam Christianæ pietatis quem bellicæ
 fortitudinis specimina edidit, dum cun-
 cta sua bona in causas pias testamento
 convertit, & quidem quinquies cen-
 tena triginta sex Imperialium millia pro
 Belli Officialibus ex senio, morbo aut
 vulnere invalidis, & octo millia pro
 emeritis Jesuitis Collegio Bonnensi le-
 gavit: Obiit annos natus sexaginta
 quatuor. Pari demum fato vivis erepti
 sunt die decima Decembris Georgius
 Guilielmus Marchio Brandeburgo-Ba-
 rutanus anno ætatis quadragesimo
 nono, die decima nona Martii Joannes
 Adolphus Anhaltino - Servestanus, &
 die vigesima quinta Aprilis Christianus
 Augustus Holsatiæ Dux Lubecensis
 Epi-

Sæc. XVIII. Episcopus, postquam quinquagesimum
A. C. 1726. sextum vitæ suæ annum expleverat.

Præter hos decessere eodem anno, & quidem die septima Januarii Ducissa de Devonshire, & duodecima ejusdem Mensis Viennæ ex apoplexia Marchio de Prie quondam Vice - Gubernator Belgii Austriaci anno ætatis septuagesimo quarto; Joanna Antonia Ducis Saxo - Leucopetrani Conjux, nata Ducissa Saxo - Isenacensis; Eleonora Wilhelmina, quæ Ernesto Vinariensi Duci nupta erat, necnon Sophia Comitissa de Schönborn Vera pauperum fautrix, & sacræ Benedictinorum Congregationi Bursfeldensi incorporata, Mater Cardinalis Damiani de Schönborn, Joannis Francisci Episcopi Herbipolensis, necnon Friderici S. R. J. Vice - Cancellarii, Coadjutoris Bambergensis, Mater non tam quatuordecim prolibus, quam centenis virtutibus sæcunda. Insuper ex hoc mundo ad æternitatem abiere Amalia Principis Nassovio-Diezensis Uxor, Carolina Hassio - Darmstadiani hæreditarii Conjux, Augusta Maria Ducis Aurelianensis Uxor, quæ post Filiam die octava Augusti editam e vivis decessit anno ætatis vigesimo secundo. Denique Varfaviæ in Polonia die decima tertia Aprilis Comes de Vizthum Regi amicissimus ab Italo Comite

mite de S. Gile spurio Regis Sardiniae Sæc. XVIII.
 Filio in duello peremptus est, A. C. 1726.
 luctum auxerat mors Constantini Ula-
 dislai, qui Joannis III. Poloniæ Regis
 Filius erat,

§. LXXV.

*Scriptorum Religione Catholicorum
 opera & obitus.*

Non paucorum ex Viris eruditione
 claris, qui hoc anno vitam cum
 calamo posuere, jacturam deplorabat
 Orbis Literatus; ex his recenseri me-
 retur primo Michael Theraise Sorbonæ
 Doctor, qui præter alia Gallico idio-
 mate publici juris fecit Quæstiones circa
 solemnem & publicam Missam, obiit
 annos natus quinquaginta. II. Gui-
 lielmus Bessin Benedictinus Congrega-
 tionis S. Mauri, qui reflexiones scripsit
 contra systema Patris Lami circa Pa-
 scha, insuper etiam operam suam con-
 tulit ad novam editionem operum
 S. Gregorii, cujus epistolas criticis an-
 notationibus, & quadam dissertatione
 illustravit: Novam etiam editionem
 Conciliorum Normaniz, quam P. Bel-
 laise inchoaverat, ipse prosecutus est,
 & epistolam nuncupatoriam ad Nor-
 maniz Clerum præfixit: Denique re-
 cens edidit Ecclesiæ Gallicanæ decreta,
 quæ

Sæc. XVIII. quæ antea Laurentiur Bouchet vulgaverat. III. Joannes Paulus du Sault ex eadem Congregatione, qui posteris reliquit colloquia Christi Eucharistici & monita seu reflexiones in obligationes Status Religiosi, & præparationem ad mortem. IV. Franciscus Maria Colonna, qui die quinta Martii Parisiis unacum ædibus suis ex incendio periit, cujus post obitum prodiit ejus Historia naturalis Universi Orbis. V. Paulus a Conceptione Carmelita Excalceatus, Hispani Regis Theologus, qui prælo subjecit Tractatus Theologicos juxta mentem PP. Salmanticensium sæpissime quatuor tomis recusos præter epistolam exhortatoriam acumine ingenii & sacra eruditione refertam. VI. Eustachius a S. Maria ex eodem Ordine Qualificator S. Romanæ Inquisitionis, & Sacrorum Rituum Consultor, Academicæ Theologicæ Censor, & pro Congregatione Italica Servorum Dei in Curia Romana Postulator, ac denique pro Concilio Romano Theologus a Benedicto XIII. designatus, qui tribus majoris molis voluminibus complexus est scrutinium sanctitatis in examine Heroicitatis Virtutum, donorum, & gratiarum gratis datarum præter vitas S. Joannis a Cruce, Venerabilis F. Francisci a Puero Jesu, Annæ Mariæ The-

Theresiæ a Jesu & Illustrissimi Episcopi Sæc. XVIII.
 Hierapolitani Josephi a S. Maria Car- A. C. 1726.
 mel. Discal. VII. Joannes Mauras
 Presbyter Congregationis doctrinæ
 Christianæ, qui concinnavit Instructio-
 nes Christianas circa pericula luxus,
 & afflictiones præter carmen de indu-
 rato corde hominum.

§. LXXVI.

*Scriptores A catholicis hoc anno
 mortui.*

Ex Scriptoribus A catholicis hoc anno
 denatis præ ceteris celebre sibi no-
 men inter Literatos comparavit Isaac
 Newton, qui animi sui vi, & Mathe-
 sis ope primus plurima peruestigavit,
 quæ nemo ante vel suspicatus erat:
 Scripsit equidem quam plurima, sin-
 gula vero, utpote mere philosophica,
 ad instituti nostri rationem non perti-
 nent: silentio tamen præterire non
 licet ejus reformatam veterum Regno-
 rum chronologiam, necnon reflexiones
 in Prophetiam Danielis, atque in Apo-
 calypsin S. Joannis. II. Joannes An-
 dreas Schmid, qui in publicam lucem
 emisit arcana Dominationis in rebus
 gestis Oliverii Cromwellii, antiquitates
 Macedonicas, Trigam exercitationum
 de Missa sacra &c. de Eucharistia mor-
 Hist. Eccles. Tom. LXXII. D d tuo

Sæc. XVIII.
A. C. 1726.

tuorum, de Altaribus portatilibus, de Primitivæ Ecclesiæ Lectoribus, de Baptismo per Arenam, de Sudariis Christi, de Omophorio Episcoporum Græcorum, de re monetali Hebræorum, de Pseudo - Evangelio æterno. De Puerio Athanasio Baptifante, de Bibliothecis Eremitarum veterum præter quamplurima. III. Joannes Feller, qui imprimi curavit monumenta varia inedita variisque linguis conscripta, genealogiam & Historiam Brunsvico - Luneburgicæ Domus, & otium Hannoveranum sive miscellanea ad Historiam Brunsvicensem, & Historiam Saxoniorum Heroum. IV. Daniel Whitby, qui elucubravît tractatum de certitudine Religionis Christianæ & de resurrectione Christi, Paraphrasin in N. T. de necessitate ac utilitate Christianarum revelationum, examen variantium lectionum N. T. tractatum de vera Christi Deitate adversus Arii & Socini hæreses præter alia scripta contra Catholicos, in quibus tamen parum soliditatis & plurimum indecoræ dicacitatis reperitur.



HISTO-